


Fr. Edvardus E. C. m. Ca. mpr.

tur
p
p
ci



MONITA GENERALIA DE OFFICIIS CONFESSARII.

Caput Primum.

CUm Sacramenti pœnitentiæ administratio præ cæteris functionibus Ecclesiasticis plùs difficultatis periculíque habeat, majori etiam solicitudine in id incumbant Confessarii, ut assequantur dotes, quæ ad tam sanctum, ac tremendum ministerium ritè pertractandum requiruntur, utpote districtam Deo pro animabus, quas incuriâ culpâque suâ perdiderint, rationem reddituri.

§. I. *Quæ esse debeant Confessarij dotes, antequàm ad Sacramenti hujus administrationem accedat?*

PURITAS MENTIS.

PURAM imprimìs conscientiam habeat, cavèatque, nè mortiferô peccatô inquinatus, aut censurâ Ecclesiasticâ, aliôve impedimentô irretitus, ad Sacramentum hoc conferendum accedat, nè dum vulneribus aliorum medetur, ipse se telô peccati configat: imò verò ità sanctè vivat, ut pœnitentes non verbîs solùm, sed exemplîs quoque ad virtutum Christianarum exercitia erudire possit, neque ejus dicta à factis ullô modô dissentiant: quantò enim magìs, ipse omni virtute præcellentior erit, eò aptiùs fiet Divinæ bonitatis instrumentum.

Quò magìs autem ad omnem vitæ bonitatem sese excitet, sæpè numero secum ipse tacitâ meditatione cogitabit, cujus vicem gerat, & quàm sanctæ sint suscepti ministerii sui partes.

PURITAS INTENTIONIS.

AD audiendas confessiones non inani gloriâ, non turpis lucri cupiditate, non curiositate; non denique ullo humano affectu, aut gratiâ duca-

ducatur, fieri enim ſolet, ut qui iſtis rebus ducuntur, laxiores ſequantur ſententias, quibûs pœnitentes ad tribunal ſuum allicere conantur, adeóque perperam hôc tremendô funguntur officiô, ſúntque in deſtructionem, non in ædificationem Corporis Chriſti, dum vulnera non curant, ſed virulentiora efficiunt; quibus proinde illud Propheticum congruit: Væ! qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas. *Ezech.* 13.

Sæpè etiam divites pauperibus, viris fæminas, & ſenibus juniores præferunt, quibus proinde dicetur: Si perſonas accipitis, peccatum operamini, *Jac.* 2. 9. & ut allectos ſibi conſervent, difficiles ſunt in concedenda facultate, aliquandò alteri confitendi, ex quo accidit, ut, ſi reſciverint perſonam ſibi confiteri ſolitam, alteri fuiſſe confeſſam, verbîs, & nutu oſtendunt hoc ſibi diſplicere, quod timidis valde periculoſum eſt, & multorum ſacrilegiorum cauſa.

ZELUS ANIMARUM.

ANIMARUM ſalutem unicum intentioni ſuæ, laborique ſcopum præfigat, ejúsqve procurandæ immensô quôdam deſideriô æſtuet: innocentioribus & illibatis adhuc animis virtutis & perfectioris vitæ amorem, horrorem è contra odiúmque peccati inſtillet, ſed junioribus imprimis

mìs castitatem impensè commendet, & opportuna illius conservandæ remedia præscribat.

Peccatores è scelerum suorum sordibus abstractos ad pœnitentiam, Deíque offensi amorem excitet: omnes ad veram pietatem, quæ in mandatorum Dei observatione consistit, instituat, parvi pendens quæcunque alia ambiguæ devotionis exercitia, si illa desit, secundùm illud: Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo. *Eccle.* 12.

ASSIDUITAS.

IN Confessionibus audiendis assiduum se præbeat, neque difficilî planè ac morosô hôc labore licèt fatigatus desistat, sed & sui ipsius commodum & ingentem animarum messem perpendat, sibíque illa Christi verba dicta fuisse meritò existimet: Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Et illud: Ite & vos in vineam meam, & quod justum erit, dabo vobis. Et quem non moveant benignissimi Salvatoris exempla, qui siti, fame, æstúque pressus, oppida vicósque, animas lucraturus, circumcurrebat, & ex longo itinere fatigatus sedebat supra fontem, mulieris peccatricis conversionem præstolatus.

Quare præstò semper sit Confessarius, ubi sancti hujus lucri spes aliqua affulget, & ad confes-
sionem

ſionem audiendam vocatus moras omnes abrumpat, nè pœnitens tædiô affectus diſcedat, aut meritò ſaltèm ſuſpicetur Confeſſarium invitum hoc in ſe onus ſuſcipere, quæ ſuſpicio, ſi ſemel de Sacerdote inter timidos imprimis aggreſtes percrebuit, omnem fiduciam animúmque erga illum abjiciunt.

HUMILITAS.

SACERDOS intimè & in corde ſuo humiliter de ſe ſentiat, & tanquam in conſpectu Dei cum reverentia, & timore ſancto miniſterium ſuum impleat, & animo uſque adeò ſe demittat ſanctéque abjiciat, ut pœnitentes, quorum Confeſſiones auditurus eſt, meliores ſe putet, neminémque, quibuscunque demùm peccatorum, aut paupertatis ſordibus horreſcat, contemnat aut à ſe rejiciat; quin potiùs cum Apoſtolo omnibus ſe debitorem agnoſcat, ſed pauperibus maximè, & abjectis in ſpeciem hominibus, ut dicere cumChriſto, cujus perſonam agit, illud queat: Pauperibus evangelizare miſit me. * Hanc verò internam ſui ipſius abjectionem exteriùs demonſtrabit vultu ad modeſtiam compoſito, morúmque comitate ac ſvavitate ſingulari, quibûs pœnitentium animi quàm plurimùm conciliantur, fiduciáque miſerorum mirum in modum erigitur.

* *Luc.* 4. 18.

SCIENTIA.

CONFESSIONIS minister ea perspecta habeat, quæ ad Sacramenti hujus cùm licitam, tum validam administrationem pertinent, quæque necessariam cum ipso Sacramento connexionem habent: sciat mortalia peccata à venialibus discernere, circumstantias peccati speciem mutantes evolvere: casus, quibûs restitutionis obligatio conjuncta est, dignoscere: potestatis sibi concessæ limites, vim itèm ac rationem censurarum probè intelligat. Casus reservatos in promptu habeat, sciátque quinam Jure Canonum summo Pontifici, quinam Episcopo Diœcesano reservati sint: Contractuum itèm varietatem, numerum ac speciem impedimentorum matrimonii non ignoret, de quibus omnibus Theologos morales consulet.

PRUDENTIA.

PRUDENTIA singularî, intelligentiâque propè divinâ præditus sit, quâ possint in tanta ingeniorum varietate, uniuscujusque pœnitentis naturam, indolémque cognoscere, & congruis quemque verbîs ac rationibûs à vitiis abstractum ad amplectendas Christiani hominis virtutes movere, varios etiam spiritus discernere, intimas conscientiarum latebras perscrutari, peccatorum causas effectúsque detegere, detectísque

que mederi. Hæc verò cum virorum doctissimorum, & sanctorum Patrum assidua lectione, meditationéque, tum praxi Sacramenti hujus continuâ, sed imprimìs crebrâ sancti Spiritûs invocatione, familiaríque cum Deo colloquiô assequetur.

TACITURNITAS.

SEcreti Sacramentalis sit tenacissimus, neque verbô vel signô, vel aliô quôvis modô prodat aliquatenùs peccatorem, quòd si prudentiori consilio indiguerit, illud absque expressione personæ, & ità cautè requirat, ut nè vel levissima suspicio oriri possit. *Conc. Later.* 4. *c.* 21.

Extra tribunal pœnitentiæ sit etiam discretus & cautus erga ipsum pœnitentem, nè peccatorum ipsius memoriam habere videatur, vel ea ipsi exprobrare vultu aspero, aut aliô quôvis modô.

Si occurrat necessitas dandi aliquod consilium pœnitenti circa peccata in confessione audita, ipsum prudenter inducat, ut ad tribunal de novo accedat, ibíque præviâ veniâ liberè concessa hunc admoneat de iis, quæ oblitus fuerat edicere in instanti Confessionis. Alia agendi ratio pluribus redderet onus Confessionis odiosum.

Seriò etiam attendat, nè incautis laudibus sanctitatem & devotionem quorumdam pœnitentium efferens, contra alios, de quibus tacet, suspiciones perversas generet.

Testimonia Confessionis auditæ, ità scripto tradat, ut nullum appareat discrimen inter pœnitentes, quô possint dignosci, quinam absolutionem receperint, quinam non receperint.

Sciat Sigillum Confessionis vim habere non tantùm respectu peccatorum & personæ pœnitentis, sed etiam complicium, sive pœnitens potuerit suum confiteri peccatum sinè expressione illius, sive non, complices prodere Confessario nefas & Religioni scandalum. *Syn. Col. an.* 1280. *c.* 8. *lit. de pœnit.*

FORTITUDO.

DEI locum tenere se sciat, omniúmque cujuscunque ordinis ac dignitatis tribunali suo se sistentium judicem se agnoscat. Quare nullius aut gratiâ, aut autoritate, aut favore, aut amicitiâ impediri se sinat, quominùs pœnitentem pro gravitate criminis, aut objurget, aut illi absolutionem deneget, differátve, vel convenientem satisfactionem injungat: neque importunîs precibûs, fictîsque pœnitentis pollicitationibûs abduci se à sententia sua patiatur, tametsi magna inde sibi incommoda, atque ipsam etiam mortem instare cerneret: neque quid alii Confessarii officii sui prævaricatores agant, consideret, sed quid sibi pro morbi inveterati curatione cum pœnitente agendum sit, coràm Deo perpendat, & sequatur.

§. 2.

§. 2. *Quid Confessario agendum, dum ad confessionale accedit?*

AD tribunal pœnitentiæ accessurus Divinam opem breviuscula saltèm precatione in ipso pœnitentium conspectu imploret, quô majorem Sacramento venerationem, sibique existimationem apud pœnitentes conciliet, & Divinum lumen in re tam ardua, & periculosa sibi propitium reddat. In Ecclesia non autem in privatis ædibus confessiones audiat, nisì causa necessaria dispensaret. Superpelliciô indutus sit, ac biretô tectus.

Sedes confessionalis sit in patenti & conspicuo Ecclesiæ loco, non in obscuro aut sacelli angulo, maximè cum fæminas audit, quas non nisì intrà confessionale & ad latus, cradibúsque interjectis audiat, vultum oculósque linteô albô ac mundô tegat, neque stans, sed sedens, ut judicem decet, & audiat & absolvat, cujuscumque demùm ordinis ac dignitatis sit pœnitens.

§. 3. *Quid in ipso Confessionis contextu Confessario sit agendum?*

DUM Confessiones audit, non aliò, neque oculis, neque mente vagabitur, prætergredientes nunquam aspiciat, neque etiam confessionale

nale ingressuros curiosius intueatur; sed ad pœnitentis confessionem attentus erit, illiúsque peccata intimè dolebit, memor sanctissimorum Patrum ac præsertim Beati Ambrosii, qui pœnitentium peccata audiens lacrymas perpetuò profudit.

Nullô penitùs signô circumstantibus suspicionem moveat, se sceleris cujusdam à pœnitente depositi atrocitate moveri; quare ab omni manuum gestu, humerorum contractione, vocis contentione abstineat: nullos gemitus aut suspiria emittat, quæ audiri à pœnitente possint, utpotè quæ maximè offendere, ac perturbare pœnitentem soleant.

Neminem spernat, aut asperiùs alloquatur, neque tædiô affici se, aut impatientis animi motibûs abripi, ullô signô prodat. Sed si quid molestiæ & indignationis plebeiorum hominum rusticitas crassitiésque afferet, id totum intrà paternæ charitatis viscera contegat, memineritque talium esse regnum Cœlorum, tales Christo præ cæteris acceptos fuisse, laborémque his impensum nulla amoris proprii labe corrumpi.

Quantâcumque pœnitentium copiâ obsideatur, nullius confessionem urgeat, maximè cùm pœnitentem tenerioris conscientiæ anxietatibûs laborare, aut memoriâ vacillare cognoverit: præstat enim, ut pauciores ritè, & eâ, quâ par est, patientiâ audiat, quàm ut plures audiendo obiter & perfunctoriè officio suo fungatur; exiguum enim fructum ex confessione sic deproperata,

ta, & nullum planè ſpirituale gaudium referet pœnitens, quin & manifeſto ſacrilegii periculo exponitur.

Quòd ſi tamen pœnitens longiùs extra materiam confeſſionis vagaretur, moneri cum charitate poterit, ut omiſsîs ambagibûs & narrationibûs ad rem non pertinentibûs, ſua ſolummodò peccata cum neceſſariis circumſtantiis declaret, quò citiùs confeſſionem abſolvat, & aliis locum cedat.

Aliorum Confeſſariorum praxim coram pœnitente non facilè carpat, niſi ad pœnitentis correctionem id neceſſarium duceret, puta, ſi abſolutio ab aliis conceſſa nulla fuiſſet, anſámque præbuiſſet pœnitenti in ſuo peccato perſeverandi, aut ſi contra juſtitiam quid ab aliis deciſum fuiſſet, quod nocere pœnitenti poſſet, in quibus tamen caſibus error in pœnitentem potiùs, quantùm fieri poteſt, quàm in Confeſſarium refundendus videtur.

CAPUT SECUNDUM.

DE INTERROGATIONIBUS.

§. I. *Quod Confeſſarius aliqoties interrogare debeat pœnitentes, & quos?*

CUM oporteat à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſio-

cuſſionem conſcientiam habent, * in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, eásque circumſtantias aperiri, quæ ſpeciem peccati mutant, & ſecundùm opinionem probabiliorem, quæ peccata multùm aggravant, plurimi verò pœnitentes, aut ex defectu diſcuſſionis debitæ, aliqua peccata in confeſſione prætermittant, aut ex pudore celent, aut ex cæcitate culpabili ignorent, aut ex malitia detegere detrectent, aut circumſtantias ſilentiô involvant, dubiîsque fucatîsque verbîs itâ involuta propônant, ut nec numerus, nec ſpecies, nec gravitas illorum cognoſci poſſit, conſequens eſt, ut Confeſſarius aptîs quibûſdam interrogationibûs defectum pœnitentium ſuppleat, aliàs nec remiſſionis, aut retentionis ſententiam pro qualitate peccatorum pronuntiare, nec æquitatem in pœnis injungendis ſervare, nec pro morbi ratione ſalutarem medicinam adhibere poſſet; more ergò periti medici diligenter inquirat, & peccatoris circumſtantias & peccati. *Conc. Lat.* 4. *c.* 21. * *Conc. Trid. Seſſ* 14. *c.* 5.

In hunc finem varias peccatorum circumſtantias ſcire debet: aliæ enim conferunt primam ſpeciem moralem actui, id eſt actum bonum, vel indifferentem reddunt malum. Aliæ mutant ſpeciem, ſeu novam aliquam malitiam diſtinctæ ſpeciei conferunt, ut ſi quis fornicetur cum conjugata, eſt enim adulterium; aliæ peccata multiplicant, ut ſi quis homicidium committat propter

ter furtum, sunt enim duo distincta peccata, homicidii scilicet & furti. Aliæ non mutant speciem, sed augent vel minuunt, ùt est in furto materiæ quantitas, de inadvertentia rationis plena, vel modica. Nam hæc omnia possunt facere, ut actus vel mortalis, vel venialis habeatur.

Circumstantiæ verò ad septem capita revocantur, quæ vulgatô versiculô comprehenduntur.

Quis, quid, ubi, quibûs auxiliîs, cur, quomodò, quandò.

Quis, dicit personam peccantis; quid, quantitatem; Ubi, locum; quibûs auxiliîs, media, ut si rebus sacris ad malum usus sit. Cur, finem ab actione diversum; quomodò, modum, si liberè, deliberatè, advertenter; Quandò, tempus, quô commissum est peccatum.

Non sunt autem omnes indiscriminatim personæ interrogandæ, sed eæ tantùm, quas peccatum suum non declarare probabiliter existimat: tales sunt, qui raró confitentur, magnisque periculis ac tentationibus sunt expositi: vel qui ea confitentur peccata, quæ plerumque alia sibi annexa habent, aut ex aliis, quæ declarata non sunt, originem ducunt.

Personæ verò, quæ sæpiùs & nonnisì leviora peccata confitentur, si aliundè satìs pollere ingenio videntur, interrogandæ non sunt, nisì fortè circa quædam statûs & conditionis officia, in quibus delinquere optimi etiam quandoque solent.

§. 2.

§. 2. *Quando & de quibus interrogare pœnitentes Confessarius debeat?*

1. IN ipſo confeſſionis exordio interrogandus eſt pœnitens, quandonam ultima vice confeſſus fuerit? an ſacramentalem abſolutionem receperit? an pœnitentiam impoſitam adimpleverit? ut exinde de numero peccatorum, déque interno peccatoris ſtatu judicare Confeſſarius poſſit.

2. Interrogandus eſt de conditione ſua & officio, nisì aliundè Confeſſario notus ſit. Dum verò de ſtatu inquirit, nullam nominis, aut familiæ, domicilii, aut patriæ mentionem faciat, neque extra materiam peccatorum in confeſſione verſabitur Confeſſarius.

3. Nè à pœnitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverunt, inquirat, vel circumſtantias, quibûs poſſint nomina eorum ſciri; imò diſtrictè inhibeat confitentibus, nè peccata aliorum confiteantur, * aut nomina complicium exprimant, nisì peccati circumſtantia talis ſit, quòd aliàs non poſſit confiteri peccatum. *Synod. Nemauſenſis an.* 1284. *tit. de pœn.* * *Synod. Colon. an.* 1280. *tit. de pœn.*

4. Pœnitentem priùs non interrogare incipiat, quàm ipſo pro ingenii facultate, id quod habet in conſcientia, exprompſerit, quantumvis rudis & ignarus appareat, cum Sacerdoti interroga-

rogatio & inquisitio adjungi tantùm debeat ad supplendum defectum pœnitentis.

Timendum enim, ne si accusationem pœnitentis, Confessarii præcederet inquisitio, huic confidens peccator, deinceps conscientiæ suæ discussionem negligeret, & ità sibi ipsi ignotus, Sacerdoti etiam interroganti sua non posset manifestare peccata.

Docendi sunt ergò etiam rudes, & plebeji utilem quemdam modum faciendi conscientiæ suæ examen, ut illam, quâ poterunt diligentiâ, explorent, se ipsos accusent. Qui enim prævio examine, in specie & sigillatim peccata sua cognoscent, vehementiori anteactæ vitæ odiô & delictorum detestatione ad gratiam absolutionis disponentur. Levior cura, & aliquando nullus erit dolor peccati, cujus est momentanea recogitatio in tribunali pœnitentiæ tantùm, & ad inquisitionem Confessarii.

5. Cùm numerus peccatorum in peccatis, maximè mortiferis, sit exprimendus, & causentur nonnunquam pœnitentes legem hanc duram & impossibilem videri, aliquot hìc observationes adjicimus, quibûs munitus Confessarius, viam ipsis eo in negotio præire ac complanare possit.

Si verus occurrat numerus & certus, is omninò exprimendus est, nec major, nec minor; facilè autem in gravioribus culpis & actibus exterioribus, vel levi examine redibit in memoriam.

Si alius occurrat, qui probabiliter judicatur * ad verum accedere, is etiam sufficiet, ac licèt peracta confessione recordaretur pœnitens veri ac certi numeri, non debebit esse anxius de illo iterum in alia confessione aperiendo, sed liber erit ab illa obligatione per illum numerum probabilem antè expressum. At si tanta esset in numero differentia, ut Confessarii judicium, exinde notabiliter mutandum videretur, pœnitens teneretur confiteri verum numerum, si posteà recordaretur. * *Rit. Paris. an.* 1697.

Si pœnitens nequidem apud se constituere possit quoties aut præcisè, aut etiam circiter, in tali specie peccaverit, dicat saltèm quanto tempore in ejusmodi peccati consvetudine vixerit, atque eo toto tempore, quoties in mense, hebdomada, vel die in illud labi solitus sit, an non etiam aliquo tempore frequentiùs, aliò rariùs in id inciderit: quod totum faciliùs animô repetet, qui occasiones, quas habuit in eo peccato perseverandi, personas quibuscum versatus est, in memoriam revocabit.

Denique si res sit cum iis, qui diu & magna cum salutis incuria in iis præsertim peccatis, in quæ lapsus, lubricus & frequens est, insordueruut, ùt sunt peccata carnis præsertim sola cogitatione admissa, & alia id genus, quæ ex habitu non retractato obrepere solent, ità ut nè dicere quidem illi possint, quoties circiter intrà singulos dies, hebdomadas, menses, talia pec-

cata admiserint, nec quamvìs dicant, quæ satìs apud audientem aliquam possint facere fidem, ii saltèm respondeant, quanto tempore ità fuerint comparati, ut ad quamlibet occasionem in ea præcipites ruerent, ut tandem intelligat Confessarius, quàm infixi sint in limo profundi, & de statu animæ ipsorum aliquod possit facere judicium. Multa autem oportet tradere misericordiæ Divinæ, delicta enim quis intelligit.

At conveniens est pœnitentes, qui rariùs confitentur & variis peccatorum speciebus sunt obnoxii, diversîs vicibûs audire, ut possint diligentiûs conscientiam suam examinare, experientia enim docet multos, dum interrogarentur in tribunali, nullius peccati conscientiam habuisse, qui tamen revertentes post aliquot dies, plura confessi sunt.

6. Doceat pœnitentem peccata dubia ùt dubia, sivè dubium sit de admisso peccato, sivè de gravitate ipsius, ea verò quæ sunt certa, * ut certa esse declaranda, nec ipsi licitum esse confiteri peccata, quæ non commisit. * *S. Thom. suppl. q. 6. art. 4.*

7. Nè interrogationibûs pœnitentem in sui accusatione perturbet, sæpè enim subsequentium peccatorum oblivionem induceret. Excipe tamen quatuor casus.

1mus Quando pœnitens ex aliquo peccato ad absolutionem indispositus judicatur; moneatur ea de re dilatum iri absolutionem, nec opus esse,

se, ut ultra pergat: quod si tamen ipse non obstante hac admonitione ulterius pergere, totamque confessionem absolvere optaret, audiendus est, quia cognito ipsius animæ statu, Confessarius melius eum juvare in Domino poterit, ipseque pœnitens sic promptior redibit, confessionis obice jam sublato.

2dus Si declararet pœnitens se in priori confessione non fuisse absolutum, causam scifcitatus Confessarius, interroget, an ab eo tempore se emendaverit? si respondeat quòd non, licèt non sit vera hujusmodi pœnitentia, admitti tamen debet ejus confessio, * & salutaribûs monitîs ad horrorem peccati inducendus, ipsique pœnitentia salutaris injungenda. * *Alex. 3. l. 5. decr. tit. 38. c. 5.*

3us Quando pœnitens confessionem suam in charta descriptam legit; tunc, si quid ambiguum aut suis circumstantiis non satis vestitum occurrit, citra ullum periculum interrogari poterit. Nec tamen patiatur pœnitentem, qui potest verbô confiteri, in totum scripto, Confessariô ipsô legendo facere, licèt sit in præsentia Confessarii; * servandus est enim communis Ecclesiæ usus ore proprio confitendi, nec absque peccato immutari potest, nisì fiat impossibilis. * *Sylvius in supl. q. 9. Concl. 2.*

4us Cùm restitutio facienda est, de illius obligatione statim instruatur pœnitens, nèc ea de re ipsum commonefacere in fine confessionis Confessa-

feſſarius obliviſcatur, & ſic pœnitentem malè ſecurum à ſe dimittat: ſunt enim, qui falsò ſibi perſuadent, nullam eſſe reſtitutionis obligationem, ubi ea de re in particulari non ſunt admoniti.

Quando confeſſio eſt longior, & peccatum occurrit grave, de ipſius numero, ſpecie, ac circumſtantiis, interrogetur pœnitens, ſi judicet Confeſſarius ſe in fine confeſſionis obliviſci, poſſe talis interrogationis.

Reprehenſiones verò omnes & objurgationes prorſus ad finem usque remittat, fieri enim ſolet, ut propter intempeſtivas hujusmodi increpationes pœnitens perturbetur, & eorum, quæ adhuc memoria tenebat, obliviſcatur, aut pudore ſuffuſus, vel diminuat vel omninò celet peccata.

§. 3. *Quomodò interrogandus ſit pœnitens?*

MAGNA hìc prudentiâ opus eſt, ut Confeſſarius eliciat ex pœnitente, quæ ille vel culpaliter ignorat, vel fateri erubeſcit, qui enim malè agit, odit lucem.

Itaque verbîs Confeſſarius utatur humaniſſimis, & in animum ſeſe pœnitentis inſinuet, ejúsque fiduciam excitet. Igitur cùm peccatum ab eo audierit grave, aut ſi cum fundamento ſuſpice-

tur ab eo admiſſum. 1. Lapſus, eorúmque numerum ac ſpeciem inquirat, incipiendo à cogitationibus voluntariis, propoſito deliberato, verbis, operibus. 2. Cauſam illius peccati, propenſionem ſcilicet, ejusque diuturnitatem, occaſionem, & habitum. 3. Effectus illius, ſunt enim quædam peccata quasì fontes, ex quibus alia ſcaturiunt, ùt ſunt peccata capitalia.

Circa materiam ſexti ac noni præcepti prudens imprimìs cautúsque erit Confeſſarius, cùm propter multiplices peccati hujus ſpecies, varióſque perpetrandi illius modos, & innatum pœnitentibus illius declarandi horrorem, tum propter ſummum & pœnitentis & ipſiusmet Confeſſarii periculum: Ille nè incautè interrogatus diſcat, quod ignorabat, & ſcandalum patiatur; iſte nè curioſiùs ſciſcitando in laqueos ipſe incidat diaboli.

Quare diffidat ſibi ipſi Confeſſarius ſalutis ſuæ ac caſtitatis amans mentémque ad Deum identidem elevans Divinam expoſcat opem, & puriſſimæ Matris caſtiſſimique ejus Sponſi, nec non Angeli tutelaris patrocinium imploret; dein, ſi neceſſitas exigit, non nisì pedetentim & quasì per gradus intimos conſcientiæ ſinus latebráſque perſcrutetur; verbis utatur iis, quæ Sacerdotalem ſanctitatem deceant, atque adeò commodis interrogationes ſuas circumloqui nitatur, ut pœnitentis verecundiam non offendant. Senſim à cogitationibus ſimplicibus ad moroſas, à moroſis ad

ad desideria, à desideriis levibus ad consensum, à consensu ad actus minùs peccaminosos, & si illos fatentur, ad magis criminosos ascendendo.

Cùm in iis speciem peccati & circumstantias, quæ multùm prægravant, satìs intellexerit, ulteriùs nihil studeat inquirere. Illud etiam diligenter observet, in hac materia ulteriùs inquirendum non esse, ubi pœnitens ad propositam quæstionem negativè respondit: non enim in hoc peccato homo derepentè fit pessimus, sed abimis incipit, & à levioribus ad graviora gradatim solet descendere.

Quod si meritò suspicetur Confessarius, pœnitentem præ pudore eloqui non audere, quæ commisit, nè nimìs urgeat sciscitando, sed si post binam aut ternam interrogationem elicere nihil potuit, ad peccata materiæ omninò diversæ se conferat, dein rursus ad scopum suum capta occasione redibit, sicque sæpiùs factitando, & sibi ipsi consulet, & faciliùs a pœnitente rei veritatem edíscet.

Dum verò interrogando circa hanc materiam, unum aut alterum peccatum eruerit, caveat sibi, nè objurget pœnitentem, aut indignationis quædam signa præbeat, certissimo enim sacrilegii periculo pœnitentem exponeret. Quin potiùs innatum turpissimi hujus peccati declarandi horrorem, & puerilem existimationis suæ apud Confessarium perdendæ timorem eradicare pro viribus tentabit, animúmque pœnitentis hìs aut simi-

libûs verbis eriget; Christus, frater mi, & Dæmon cor tuum expetunt; ille; ut peccata tua fatearis ad salutem; iste, ut celes ad damnationem: quem è duobus præferendum putas? nè pudeat ergò fateri, quod deliquisti: labi infirmitatis est, perversæ verò naturæ, nolle resurgere. Quantumvis atrócia narres, audivi atrociora: omnes peccatores sumus, & egemus gratiâ Dei; Sancti ipsi ceciderunt, sed fassi sunt infirmitatem suam, sed pœnitentiam egerunt. Peccata tua confitendo, Deo & Angelis gratum facies, me voluptate mirâ afficies, & tu ipse pondere tantò depositò quantam lætitiam, quantam animi tranquillitatem senties! de Dei bonitate nè dubites, ipse enim te vocat ad pœnitentiam, ipse te oviculam suam quærit, nè dæmoni in prædam cedas.

Magnum etiam tollendi falsi pudoris remedium est, pœnitentem ante Sanctissimum Sacramentum dimittere precaturum: suggeratur illi, si rudis sit, una aut altera precatiuncula jaculatoria, inibi sæpiùs repetenda, v. g. nè permittas Domine, ut sacrilegam confessionem faciam: dirige Domine cor ac linguam meam, ut ritè, & sincerè confitear peccata mea &c.

Potest etiam unus, aut alter dies ad conscientiam enucleatiùs examinandam eidem præscribi, ut animum intereà suum contra timorem obfirmare possit.

Alind præthereà medium, ad eliciendum peccatorum in luxuria commissorum numerum, per-

oportunum habetur, præsertim in puellarum ac fæminarum, quæ verecundioris sunt ingenii, confessionibus adhibendum, cum scilicet Confessarius numerum justò majorem suggerit, sic enim pudor minuitur, & justus numerus declaratur.

Peccata verò quæ in damnum cedunt aliorum, majorî curâ perscrutetur, ùt sunt contractus usurarii, & fraudulenti pecuniarum, frumentorum, pecorum, agrorum, aliarùmve rerum locatio, usus fructus, hypothecæ & oppignorationes.

§. 4. *Peccata quædam magìs particularia, circa quæ pœnitens interrogandus est?*

CIRCA FIDEM.

AGRESTES senio confecti, ancillæ ac famuli, pecorum pastores, & crassioris ingenii homines, pauperes, maximè vagabundi, interrogandi sunt circa articulos fidei ad salutem scitu necessarios. An sciant & intelligant saltèm quoad substantiam articulos Symboli Apostolici, quô Ecclesia utitur, non sufficit enim eos semel credidisse. *prop.* C. 5. *damn. ab Inn.* 11.

Pœnitens, qui hos ignorat interrogandus, num aliàs de sua negligentia & culpa fuerit à Confessario admonitus, tunc enim si pro modulo di-

ligentiam non adhibuerit, tamdiu illi differatur absolutio, donec huic officio satisfecerit; quòd si nondum admonitus fuerit, absolvatur quidem, sed de supradictis, priùs ùt poterit, instruatur. Meminerit tamen Confessarius, quòd agrestes & crassioris indolis homines sæpè nôrunt, quod explicare non valent.

Habitudinarii & præ cæteris ebriosi, impudici, usurarii, multùm hærere solent circa quosdam fidei articulos, qui perversis hominum cupiditatibus magìs adversantur, ùt est infernus, judicium extremum, Dei providentia &c. quare interrogandi, num de his articulis dubitaverit cum advertentia, aut omninò contrariam sententiam habuerint;

CIRCA SPEM.

INVETERATI peccatores, aut de Divina misericordia dubitantes, facilè desperant, aut è contra eâdem ad liberiùs peccandum, sæpè abutuntur: ex utroque genere periclitatur eorum salus, desperatione & præsumptione temerariâ. Contra eum, qui falsa spe periclitatur, dicit Spiritus Sanctus: nè tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te; at his, qui desperatione pereunt, dicit: In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar.

Pauperes, calamitosi, ærumnis variisque doloribûs, ac diuturnis morbis vexati, interrogandi quid de Divina erga se providentia senserint, num murmuraverint contra illam, aut nullam esse existimaverint, & ad Deum per orationem confugere neglexerint: ignis enim accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israël, quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus. *Ps.* 77. *v.* 21. 22.

CIRCA AMOREM DEI.

AN actus amoris Dei aliquoties saltèm elicuerint; docet enim Innocentius II. * eum peccare mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, & præceptum charitatis erga Deum obligare per se ad actus amoris Dei aliquoties eliciendos. Licèt terminus hujus obligationis definiri præcisè nequeat, tales actus ità frequenter producere convenit, ut huic præcepto satisfacere possimus. Potest pœnitentis negligentiam supplere Confessarius, ipsum interrogando, antequam absolutionem impertiatur, num Deum diligat super omnia; &c. *Prop.* 5.

At nè pœnitens in solo affectuoso actu quiescat, affectum affectu probandum esse doceat, nam mandatorum Dei observatio, verum est ac genuinum amoris hujus signum, quin & effectus;

juxta

juxta illud: Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. *Joan.* 14. 21.

CIRCA RELIGIONEM.

AN manè & serò eâ, quâ par est, reverentiâ preces Deo persolvant, pœnitentes suos Confessarius interrogabit; plerumque enim agrestes, labore diurno, vigiliîsque nocturnîs fatigati, pecudum more lectum petunt, eôdemque modô ex illo resurgunt, aut in lecto jacentes & semisopiti quasdam preces deproperant; quibus utiliter satisfactionis sacramentalis locò injunget Confessarius, ut per aliquot menses eas preces genibûs flexîs quotidie persolvant, neque lassitudo aut operis quæcunque instantia eos dispenset, quominùs exiguum saltèm tempus in genua provoluti tam sancto exercitio impendant, suòsque, si Domini sunt aut patresfamilias, ad idem faciendum, & verbô & exemplô compellant.

Ad Religionem pertinet emissa vota persolvere: cùm voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deuter.* 23.

Votum autem est promissio deliberatè Deo facta, de aliquo meliori bono, cum intentione ad id se obligandi; promissio procedit ex propo-

sito faciendi, propositum aliquam deliberationem præexigit; hinc qui indeliberatè & sinè advertentia vovent, ad nihil tenentur, non sunt enim propriè vota.

Dicitur, de meliori bono; unde votum, quô perfectius bonum impeditur, nullum est: ut si quis voveret matrimonium contrahere.

Aliud est absolutum, quod statim obligat; aliud conditionatum, cujus obligatio pendet à conditione, quæ si non evenerit, nullum est.

Aliud est reale, quô vovemus aliquid extra nos, ùt eleemosynam dare pauperibus; quod, defuncto vovente, transit ad hæredes, qui tenentur eleemosynam votô promissam dare. Aliud est personale, quô vovemus servitium aliquod personale, v. g. preces fundendas &c. Illud personam voventis tantùm spectat, & hujus morte extinguitur. Aliud partìm reale, partìm personale, quô non solùm servitium aliquod personale, sed etiam rem aliquam exteriorem promittimus; cujus obligatio, in quantùm reale, transit ad hæredes.

Irritare vota seu annulare, proprium est eorum, sinè quorum voluntate & consensu valida esse nequeunt, nullus enim potest per promissionem se firmiter obligare ad id, quod est in potestate alterius.

Commutare verò aut dispensare, ad Summum Pontificem & ad Episcopos pertinet: quinque sunt vota Summo Pontifici reservata, votum per-

perpetuæ castitatis, ingrediendi religionem, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum in Compostella, & in Jerusalem non devotionis tantùm, sed auxilii præstandi causâ Christianis terræ sanctæ. Reliqua vota sunt Juris Episcopalis. Sacerdotes, quibus vota commutandi potestas datur, illa aut in majora, aut in magìs Deo grata, aut certè æquè pia Deóque grata opera commutent, rationémque habeant in illa commutatione, aut laboris aut impensarum in solutione voti à pœnitente subeundarum, hæcque fiant sinè præjudicio tertii.

Ut prædicta quinque sint Papæ reservata, debent esse absoluta & certa; in dubiis enim & conditionatis, ante ad impletam conditionem dispensare possunt Episcopi. Convenit etiam ad ipsos remittere reos votorum certorum & absolutorum, ipsorum enim est dijudicare, qui remittendi sunt ad Summum Pontificem, & cum quibus possunt dispensare; quod ipsis competit, cùm non est facilis recursus ad Summum Pontificem, aut cùm ex dispensationis dilatione imminet famæ, vitæ, aut animæ periculum.

Sedulò caveat Confessarius, nè pœnitentes, præsertim mulieres, temerè vota emittant, maximè castitatis; tantùm absit, ut aliqua ab ipsis exigant, vel etiam juramenta, aliásve promissiones, etiam de fugiendo peccato, quæ novum vinculum adjiciant.

Religio etiam personis, rebus, locísque Deo

sacris

ſacris honorem reddendum præcipit, at ſecundum diverſam rationem ſanctitatis rerum, locorum & perſonarum, in quas peccatur, neceſſe eſt quòd ſacrilegii gravitas diſtinguatur, tantò enim eſt, gravius, quantò perſona, locus aut res ſacra, majorem obtinet ſanctitatem.

CIRCA PRÆCEPTA DECALOGI.

DOCET Sanctus Carolus eos, qui rationis uſum attigerunt, teneri ſub reatu peccati mortalis ſcire Dei & Eccleſiæ præcepta, quæ ſub peccato mortali ſunt obſervanda, quæque in ſcholis doctrinæ ſolent comparare.

PRIMUM PRÆCEPTUM.

CULTUM Deo debitum præſcribit, qui in fide, ſpe, & charitate conſiſtit. Vetat idololatriam; media ſuperſtitioſa ad febrim, morbóſque tam ab hominibus quàm à pecoribus arcendos, quæ à paſtoribus, vetulis, agreſtibus, aliiſque ut plurimum adhibetur.

Illud autem ſuperſtitioſum vocatur, quod nec naturaliter, nec ex inſtitutione divina producere poteſt effectum, qui ſperatur. Imò ſi unà cum rebus naturaliter ad eos effectus valentibus, adhi-

adhibeantur aliqua, quæ manifestum est naturaliter, eò non valere, illicitum est ac superstitiosum, cùm ex Dei & Ecclesiæ institutione ordinata non sint. Hinc superstitiosi sunt, qui ad hominum vel brutorum morbos curandos, mitigandos dolores, sistendum sanguinem, quædam adhibent remedia, naturalia quidem, sed cum characteribus, nominibus, figuris aut aliis rebus impertinentibus, tanquam ad propositum facientibus. Qui herbas medicinales colligunt, certa aliqua verba recitando.

Qui ad pictam Sancti alicujus imaginem devotionem suam effundunt, spem ponentes in accenso certo quodam cereorum numero; qui per certas orationes sese ab omni periculo tutos existimant, certò sibi pollicentur, se non migraturos ex hac vita sinè Sacramentis, si hunc aut illum Sanctum coluerint.

Secùs, si orationes ab Ecclesia probatas ex devotione dicant, Sanctósve colant reverenter, cum bona fiducia auxilii in necessitate accipiendi. Hos omnes Confessarius benignè instruere debet, quid Deo, quidve Sanctis debeant.

Vetat hoc præceptum magicas artes, maleficia ad nocendum hominibus, pecoribus fructibúsve terræ. Nunquam autem licet ad magos confugere aut aliqua superstitione uti ad dissipanda hujusmodi maleficia; qui à dæmonis malitia liberari desiderat, precibus, jejuniis, eleemosynis ad Deum recurrat; & cum hujusmodi maleficia à

Deo

Deo permittantur in pœnam peccatorum, hortari oportet eos, qui ista patiuntur, ut corde contrito & spiritu humiliato sinceram peccatorum suorum confessionem faciant.

Vetat omnem divinationem sive ex lineamentorum corporis inspectione, sive ex sortibus, somniis, aliisque rebus, quibûs per dæmonum significationem, incerta pro certis affirmantur, aut res futuras à Deo liberáque hominis voluntate magna ex parte pendentes prædicere tentant temerarii & imperiti quidam.

Peccant etiam contra hoc præceptum, qui in itineris susceptione, aut cujusvis rei institutione vel progressu, dies, momenta, vel tempora observant, putantes alia felicia, alia infelicia; quadrupedum voces, garritum avium aut volatum notant, aut ex occursu hominum vel pecudum suscipiendi aut suscepti operis felicitatem augurantur.

Caveat etiam Confessarius à frequentioribus peregrinationibus, in quibus otiosi vel de proximo quocunque detrahunt, vel in hospitiis promiscuè pernoctantes turpissima quæque vel perpetrant vel patiuntur; peregrinationes verò longiores fœminis maximè dissvadebit, quarum officium est domûs suæ ac liberorum curam habere. &c.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

DIVINUM Nomen temerè & ad quascunque nugas usurpare, non leve peccatum habeatur.

tur. Dicitur Jeremiæ 4. Jurabis in veritate, in judicio & justitia.

Ad bonum ergò usum juramenti 1mò. requiritur, quòd aliquis non leviter, sed ex necessaria causa & discretè juret; cùm videlicet videt audientes pigros esse ad credendum, nisì dicta juratione firmentur, & utile est eis aut nobis necessarium, quòd credant.

Temerè jurat & absque judicio, qui quod verum est, cum juramento asserit, at id verum existimat ex levibus tantùm quibusdam conjecturis. Qui sic negligenter jurat, in magno pejerandi periculo versatur.

2dò. Requiritur, ut quod per juramentum confirmatur, verum sit: Deum falsi testem in re etiam levis momenti, adhibere, peccatum mortale est, nec excusatur per restrictiones mentales; si juraret quis v. g. se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intrà se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum; Dominus, qui conscientiæ testis est, ità verba accipit, sicut cui juratur intelligit. *Conc. Toleff. an. 909. c. 12.*

Jurat autem falsò, etiam ille, qui jurejurando id asserit, quod, cùm verum sit, falsum putat; & qui jurat, quod verum existimat, & tamen revera falsum est, nisì pro posse curam & diligentiam adhibuerit, ut rem compertam haberet.

3tiò. Requiritur justitia, quæ maximè in promis-

missis necessaria est, ad quæ etiam comminationes referuntur. Qui ergò injustum aliquid & inhonestum promittit & cominatur, & jurando peccat, & promissa aut comminationes exequendo, scelus scelere cumulat. Qui aliquid licitum & honestum cum juramento promittit, ità animô dispositus esse debet, ut cùm tempus advenerit, promissum exsolvat, nisì fortè mutatâ rerum conditione, tale esse inceperit, ut jam si promissis stare velit, Dei offensam incurreret. Qui jurat proximo suo & non decipit: *Ps.* 14.

Dicere, Deus me condemnet, non habeam partem in cœlo &c. nisì hæc ità se habeant, est juramentum per execrationem, quod gravissimum jurisjurandi genus appellat Augustinus in Psalmum 7mum.

Circa juramentum præsertim interrogandi sunt milites & mercatores, hi ut quàm plurimô vendant aut quàm minimô emant, res venales vel laudare vel vituperare jurejurando non dubitant.

Blasphemias in Deum & Sanctos, omnium peccatorum gravissima esse nemo dubitat. Modi, quibûs committi solet blasphemia, hi sunt: 1mò. negare aliquid de Deo, quod ei convenit, vel asserere de eo, quod ipsi non convenit, idque sive expresè, sive implicitè indicativi modi, sive imperativi, sive optativi. 2dò. Aliquid Deo tribuere, quod reverà ipsi convenit, sed cum irrisione vel contemptu. Ut si quis per membra Christi turpiter juret. 3tiò. Tribuere creaturis, quod Deo soli convenit. 4tò. Sanctis cum Deo

regnantibus aliquid contumeliosè tribuere, Blaſphemia vera & formalis, ex parvitate materiæ non fit venialis, quia qualiſcunque contumelia dicatur in Deum vel Sanctos, eſt valdè magna; quô fit, quòd blaſphemia etiam jocô prolata fit mortalis. Quia nec jocus tollit rationem injuriæ, nec leve eſt jocari talibus in rebus. *Silvius in 2. 2. q. 13. art. 2.*

Blaſphemiæ proximè accedunt Sacramentorum nuncupationes, quæ apud viliores homines & milites uſurpantur, dum ad iram ſuam teſtandam ea pro libidine ſua multiplicant, & cum rebus peſſimis componunt, quibus planè neganda eſt abſolutio, donec emendationis non obſcura ſigna præbeant. Emendationem urgebit Confeſſarius, mulctam imponendo perſolvendam, quoties relabentur, v. g. eleemoſynam dare, jejunare, ſilentium per aliquod tempus ſervare. &c.

Imprecationes itèm & convitia graviora, quæ quasì peſtis per familias & pagos integros ſerpunt, abſolutionis etiam dilatione corrigenda ſunt.

Blaſphemia tamen à peccato mortali excuſari poteſt ob indeliberationem & ſurreptionem. Imò. Cùm quis non advertat hoc, quod dicit, eſſe blaſphemiam, ſubitò ex aliqua paſſione in verba imaginata prorumpens, quorum ſignificationem non conſiderat, tunc propriè non habet rationem blaſphemiæ; modò id non procedat ex pravo habitu, quòd enim tunc inadvertenter blaſphemet, provenit ex notabili ejus negligentia, quâ pravam

vam

vam consvetudinem negligit emendare. Si verò sincero dolore correptus, conetur omni curâ, illam consvetudinem destruere, indeliberata ejus blasphemia non erit mortalis, quia nec in se, nec in causa est voluntaria. *Silvius in 2. 2. q. 13. act. 2.*

TERTIUM PRÆCEPTUM.

IDcirco in diebus Festis ab opere mundano cessandum est, ut liberiùs ad Ecclesiam ire, psalmîs & canticîs spiritualibûs insistere, orationi vacare, oblationes offerre, * eloqiîs Divinîs intendere, eleemosynîs subvenire indigentibus valeat Christianus; qui hæc omnia negligens otiò tantùm vacare voluerit, ad mundi vanitates licitos labores converterit, meliùs illi esset ipso die festo laborare manibûs. Dies autem festos, compotationibûs, choreîs, saltationibûs, turpiloquiîs, scurrilibûs jocîs, aleîs, comediîs transigere, gravis est præcepti hujus violatio, à Conciliis sub pœna anathematis etiam prohibita. *Conc. Turon. an. 1583. tit. de fest. cultu.* * *Nicolaus 1mus ad Cons. bulgar.*

Diebûs Dominicîs & aliîs, qui præcepto coluntur feriosos esse debemus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, gynecæo, cæmentario, pictorio, venatorio, forensi, mercatorio audientiali. *Conc. Med. an. 845.*

Necessitas autem & damnum avertendum excusant à peccato, si aliquod opus in die Dominica vetitum fiat; at qui die festo opera servilia exercent, interrogandi sunt, quâ necessitate id faciant, monendíque se id sinè prævia Parochi licentia facere non posse, esséque prædicti Parochi id vel concedere vel negare, prout ille necessarium judicabit; convenit etiam quibus indulgebit, ut hîs diebûs operentur opera servilia, eleemosynas aliquas pauperibus erogandas præcipere, juxta decretum Alexandri 3. c. licèt de feriis; non ità tamen strictè agendum videtur cum ancillis, quæ vestes suas per breve tempus reficiunt; sed objurgandi sunt Domini, qui per hebdomadam domesticos suos ità assiduè laborare cogunt, ut nullo tempore ipsis permittant suas vestes reficere. *S. Carolus Instr. Confes.*

Compellantur quantùm fieri potest, pœnitentes interesse concionibus, sed doctrinæ imprimìs Christianæ, si rudiores sunt, etsi matrimoniô juncti aut seniô confecti, juniores verò indiscriminatim ad id obligentur, jubeantúrque Parentes ac Domini diligenter liberis suis ac domesticis hac super re invigilare, cùm rerum Divinarum inscitia, mala plurima & certam salutis jacturam afferat. Quare Caupones, qui juventutem eo tempore apud se detinent, acriter objurgandi.

Quar-

QUARTUM PRÆCEPTUM.

LIBERORUM erga Parentes suos inobedientiam Apostolus inter peccata infidelium collocat *Rom.* 1. *v.* 30. éstque experientia compertum discolos, & inobedientes liberos in gravissima passim peccata prolabi.

Quare hac super re diligentiùs pœnitentes suos Confessarius interroget, num parentes suos honorent, eos ament, iis obediant, & pro viribus, eisdem, cùm opus habent, assistant. Si in officio suo defuerint, omni quâ poterit viâ ad id eos adigat, ut, & pro eo, quod deliquerunt, & Parentibus, & Deo satisfaciant, & pro futuro sibi caveant.

Magnum verò discrimen ponat inter eos liberos, qui rariùs, & ex infirmitate, & illos qui sæpiùs ex malitia, perversa affectione, & pravo habitu delinquunt. Illos quidem graviter objurgatos, & meliora pollicitos absolvat, cum obligatione tamen satisfaciendi Parentibus offensis, petendo ab eis veniam, si offensa sit gravior: his verò absolutio differatur, usque dum planè melioris vitæ specimen dederint, veniámque à suis Parentibus enixè petitam obtinuerint.

Cognoscet verò Confessarius an ex infirmitate, aut ex malitia, & pravo habitu in Parentes peccatum fuerit, interrogando pœnitentem, utrùm Parentes suos amet, quomodò erga ipsos affectus sit? si ità respondeat, ut sinè affectione erga Pa-

rentes suos esse videatur, malitiam & pravum habitum subesse meritò suspicari potest Confessarius, ideóque, & ulteriùs inquiret, numquid Parentes contempsisti? iis malum imprecatus es? numquid de iis detraxisti, eorum actiones perstrinxisti, aut mimicè, & per jocum exhibuisti? numquid de industria ad iracundiam excitasti? numquid talia fecisti, quibûs prævidisti Parentes tuos summopere offensos iri? num iis cum contumacia restitisti? numquid duriùs eis locutus es? numquid verbîs injuriosîs eos lacessisti? num iis in necessitate defuisti?

Eâdem proportione interrogandi sunt famuli, & ancillæ, cùm Dominos suos locò Parentum habere debeant, ùt, & subditi erga præpositos, sive Ecclesiasticos, sive Laicos, qui omnes docendi sunt, non ad oculum servire, quasì hominibus placentes, sed ùt servi Christi in simplicitate cordis, facientes voluntatem Dei ex animo. *Ephes. 6. v. 5.*

Econtra verò Parentes circa officium interrogandi, mutua enim inter ipsos, & liberos obligatio intercedit. 1mò. Num liberis suis de vestimentis, tecto ac nutrimentis necessariis provideant; sin minus, qua ex causa? quæ si sit culpabilis, omninò tollenda est, nequè absolutio danda, nisì post longiorem probationem, maximè si hæc negligentia ex avaritia aut aliquo odio proveniat, si verò ex paupertate, quæ ex pigritia oriatur, ad laborem compellendi; si ex cre-

bris

bris compotationibus, à cauponis arcendi, & sic de aliis.

Alii verò Parentes plus, quàm privatæ opes patiuntur, in vestimenta filiarum suarum impendunt, & ornatûs earum gratiâ, supersedent eleemosynis necessariis, aut debita, quibûs obstricti sunt, solvere negligunt, aut nova contrahunt, quibus solvendis cognoscunt se impares.

Petat 2dò. Num instruant liberos suos, aut aliis instruendos tradant? num eos doceant res ad salutem necessarias? peccati horrorem, virtutis econtra amorem teneris mentibus imprimant, verba suô exemplô confirment. 3tiò. Num errantes & discolos corrigant? an non fortè iis conniveant, & obsistant, cùm ab aliis corriguntur? an nimiâ severiate eos ad indignationem provocaverint, ità ut pusillo animo facti sint? num incautâ & inprudenti prædilectione occasionem dederint odii & invidiæ inter natos? 4tò. an prudentî æconomiâ, ità bona sua gerant, ut providere liberis pro statûs sui qualitate possint? an per fas, & nefas filiis suis thesaurizare studuerint?

Patres ac Matresfamilias interrogandi, an domesticorum suorum curam habeant, iisque imprimìs de necessariis salutis consequendæ mediis provideant? an eos ad conciones, sed imprimìs ad doctrinæ christianæ explanationem mittant? an ad preces serotinas ac matutinas Deo persolvendas impellant, delinquentes corrigant, bonô exem-

plô

plô præeant? qui enim ſuorum ac maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior. 1*a*. *Tim.* 5. *v.* 8.

Animarum curam habentes interroget, an juventutem doctrinam chriſtianam doceant, ejúsque peculiarem curam gerant, inquirentes de iis, quæ Ludimagiſtri in ſcholis faciunt, num ſeparatim puellæ à pueris doceantur? &c.

QUINTUM PRÆCEPTUM.

OMNES norunt peccata, quæ opere contra hoc præceptum committuntur; ſed cùm Spiritus Sanctus dicat, quòd omnis, qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, quàm multi reperiuntur, qui ſi minùs manu, animô ſaltèm ſcelus hoc committunt. Si dictum eſt antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio, Chriſtianis dictum eſt, quia omnis, qui irraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratrì ſuo, Raca: reus erit Concilio. * Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Ex quibus perſpicuum eſt diverſos eſſe iræ gradus, & eum culpâ non carere, qui fratri ſuo ſuccenſet, quamvìs motum iræ animô incluſum retineat; qui in modo loquendi iram ſuam demonſtrat, ùt clamore aut inordinata & confuſa locutione, magìs reus eſt; & his duobûs graviùs, peccat, qui in verba proximo injurioſa prorumpit. Talis tamen ira non ſem-

* *Math.* 21. 2.

ſemper habet rationem peccati mortalis, hòc ex natura convitii penſandum eſt.

Eſt etiam ira, quam zélus juſtitiæ format, cùm in eos animadvertimus, qui noſtro imperio poteſtatique parent, ſi in eis ſit culpa. Hæc non eſt contra hoc præceptum, nisì aut appetat puniri eum, qui non meruit, vel etiam non ſecundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, vel ſi immoderatè ferveſcat interiùs vel exteriùs.

Docet Gregorius magnus duobûs modîs iram nos frangere poſſe. 1mò. Ut mens ſollicita antequam agere quodlibet incipiat, * omnes ſibi quas pati poteſt contumelias, proponat; quatenus Redemptoris ſui probra cogitans, ad adverſa ſe præparet: quæ nimirùm venientia tantò fortiùs excipit, quantò ſe cautiùs ex præſcientia armavit. 2dò. Cùm alienos exceſſus aſpicimus, delicta propria cogitemus: conſiderata quippè infirmitas propria, mala nobis excuſat aliena, patiènter námque illatam injuriam tollerat, qui piè meminit, quòd fortaſſe adhuc habeat, in quo debeat ipſe tollerari. Sed præcipuum contra iram remedium eſt, dare locum iræ, nihil agendo, nec etiam loquendo dum turbatus eſt animus; refert S. Ambroſius *l.* 1. *offici.* *c.* 21. dictum philoſophi, quòd ad villicum ſuum dixerit: ô te infelicem, quàm te afflictarem, nisì iratus eſſem!

* *L.* 5. *mor. in.* 5. *c. Job. c.* 10.

Contra hoc præceptum peccant, ſcandalum præbentes, qui majori ſcelere animas, non corpora

ra occidunt. * Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus & demergatur in profundum maris. Tales ſunt Parentes, quorum actiones & verba liberi imitari ſolent; viri docti & graves, ſed imprimis Eccleſiaſtici ac Magiſtratus, quos indocti & plebei tanquam exemplar ſuarum actionum ſibi proponunt, & quicunque demùm proximo ſpiritualis ruinæ cauſa ſunt, conſiliô, juſſu, approbatione, adulatione. &c. * *Math.* 18. 6.

Interrogandi ergò ſunt conjuges, an coràm liberis turpiloquia habuerint, aut quid perverſum geſſerint? eôdem ſe cum ipſis, jam malitiæ capacibus, lectô compoſuerint, aut maſculos cum fæminis ſimul cubare juſſerint, aut permiſerint? quos nulla etiam paupertatis ratio excuſet. *Conc. Mediol.* 6. *c.* 27.

Sed atrociſſimo ſe ſcelere conſtringunt, qui verbîs & operibûs, aliorum innocentiæ & caſtitati inſidiantur, ut illas peſſumdent. Hac ſuper re interrogandi, quos Confeſſarius perditè in luxuriam, ſed imprimìs in mollitiem propenſos cognoverit. An innocentes animas flagitium hoc docuerint? an eas turpitudinis ſuæ conſcias, aut etiam conſortes fecerint, aut facere conati ſint? hos verò longâ probatione & durîs pœnitentiæ operibûs ad abſolutionis gratiam diſponet; eam ſatisfactionem injunget, quæ & ſcandalum meliorî quô poteſt modô, reparet, & tam immane facinus pluriū annorum pœnitentiâ eluat. SEX-

SEXTUM PRÆCEPTUM.

HOC præceptô omne impuritatis genus & impudicitiæ prohiberi facilè intelligitur. Est ergò voluntas Dei, sanctificatio nostra, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore & non in passione desiderii.

Septem vulgò hujus peccati species enumerantur, fornicatio simplex, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, peccatum contrà naturam, undè necessariò in confessione aperiendæ sunt circumstantiæ, quibûs hujus peccati species variantur, sive illæ circumstantiæ revera fuerint ex parte objecti, sive in opinione tantùm peccantis, ut qui accedit ad eam, quam alterius uxorem putat, licèt sit à lege viri soluta. Aliquandò etiam illud peccatum habet injustitiam annexam; ex ipso quandoque nascitur impedimentum dirimens matrimonium posteà contrahendum, aut matrimonii jam contracti usum prohibens; ut si quis peccaverit cum ea, quæ in primo vel secundo gradu consanguinea est ejus, quam vult desponsare, aut ejus, quæ jam ipsi matrimoniô juncta est. His omnibus attendere debet Confessarius, ut reos injustitiæ ad restitutionem compellat, alios à matrimonio contrahendo deterreat absque tamen sigilli confessionis damno; & ut matrimonio jam conjunctorum parti reæ dispensationem procuret necessariam ad licitum usum matrimonii, quæ dari debet

in

in foro pœnitentiæ, & ad quam ſpeciali poteſtate indiget ab Epiſcopo, aut ejus Vicario Generali acceptâ.

Cùm verò Deus animi & corporis libidinem prohibeat, ſimul etiam prohibet quæcunque eam vel excitant vel nutriunt, qualia ſunt verba impudica, laſcivæ hiſtoriæ, ſpuriæ cantilenæ, imagines indecoræ, comædiarum ſpectacula, oſcula, tactus. &c.

Mediatores in hujusmodi turpibus, qui perſonarum ejusdem, aut diverſi ſexûs libidini ſerviunt, eámque procurant, vel literas ſcienter deferendo, vel aliô quôvis modô, digni ſunt morte, cùm conſentiant prava facientibus, nec excuſantur ratione & debitò famulatûs. * Quam enim dabit homo commutationem pro anima ſua.

* *Prop.* 51. *dam. ab Inn.* 11. *an.* 1679.

Conjugibus iñuat Confeſſarius, non omnia ipſis licere, dicente Apoſtolo: * honorabile coñubium, & thorus immaculatus: plurimáque & enormia à conjugibus peccata contrà continentiam committi poſſe, dicente Angelo ad Tobiam juniorem: * oſtendam tibi, quibus prævalere poteſt dæmonium: hi námque, qui conjugium ità ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ità vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus.

* *Hebr.* 13. 4. * *Tob.* 6. 17.

Graviſſimè peccant, ùt patet ex hiſtoria Onam *Geneſ.* 38. 7. qui fœtus conceptionem impediunt,

diunt,

diunt, in quo plerumque peccant pauperes, prolium multiplticationem, & fœminæ partûs dolores timentes. Si ambo conjuges in id crimen consentiant, tamdiu ipsis deferenda est absolutio, donec debitè utantur matrimonio, vel mutuô consensu lectô disjuncti, à se invicem abstineant, modò non sit incontinentiæ periculum; tunc enim Divinæ providentiæ, circa liberorum nutritionem se comittere debent: qui enim pascit pullos corvorum, quantò magis homines ad imaginem suam creatos: hæc insinuabit Confessarius: at si una tantùm pars criminis hujus sit rea, deneganda est ipsi absolutio, donec plenè resipuerit: an autem marito peccanti peccato Onam, uxor debeat debitum denegare, nihil statuat Confessarius inconsultô Episcopô, aut ejus Vicariô Generali.

Sunt etiam modi non naturales, prohibendi, quia licèt generationem non impediant, sunt tamen præter naturam, & hos signa mortalis libidinis dicit S. *Thomas 2. 2dæ. q.* 154. *art.* 11.

SEPTIMUM PRÆCEPTUM.

CRASSIORIS furti species nec pœnitentem, nec Confessarium fugiunt; at sunt fraudes, dolíque quidam subtiliores ac palliati, certis hominum conditionibus ità annexi, ut per longum abusum in jus transiisse credantur: & cùm

quæ-

quæcunque consvetudo præscribere contra Divinam legem non possit, prudentis erit Confessarii, peccatum pœnitenti suo detegere, præcognito ejusdem statu ac conditione.

Liberi Parentibus pecunias, aut suppellectilem domesticam ac mobilia distrahentes, & dicunt non esse peccatum, quos participes homicidii dicit Spiritus Sanctus *Prov.* 28. 24.

Famuli & ancillæ Dominorum bona pessumdantes, negligentes, aut etiam distrahentes pro se, aut aliis; nec excusantur ex eo, quòd surripiant ad compensandam operam suam. * quam majorem judicant salario, quod recipiunt. In omnibus fidem bonam ostendere debent, qui dicit, * in omnibus nihil relinquit, in quo domestici infideles esse possint, vinô, pane, frumentô &c. * *Prop.* 27. *ab Inn.* 11. *dam. Tit.* 2. 10.

Rustici decimas fraudantes, aut corrumpentes, prædiorum suorum limites excedentes. Mercenarii cum notabili pigritia laborantes. Opifices justò majorem mercedem exigentes, aut è commissa sibi materia distrahentes, aut eam cum deteriore commutantes. Domini, qui mercedem domesticis aut operariis debitam denegant, aut cum damno illorum diutiùs differunt, aut contra initam conventionem diminuunt.

Mercatores merces vetustate corruptas aut mistas pro recentibus vendentes, iniquo pondere ac mensurâ utentes. Vectigalia defraudantes contra præceptum Apostoli, qui illicitis conven-

tio-

tionibus inter se paciscuntur merces nec minori vendere, nec majori pretio emere, quàm quô inter se statuerunt.

Divites, qui in frugum inopia, frumentum comprimunt & sua cupiditate faciunt, ut durior sit annonâ, ad quos illud Salomonis: Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis. *Prov.* 11. 26.

Magistratus contra justitiam agentes, * sivè ignorantiâ, sivè negligentiâ, sivè odiô aut partis adversæ favore id fiat. Qui munera diligunt & sequuntur retributiones, socios furum vocat. *Isaias* 1. 23. * *Cap. si culpa de injuriis & damno dato.*

Præpositi communitatum justitiam distributivam in imponendis & exigendis regiis pecuniis, aliis juribus, seu oneribus imponendis non servantes, Domini territoriales ultra jus suum subditos & vasallos onerantes.

Debitores debita non solventes, aut longa procrastinatione notabile damnum inferentes creditoribus, aut superfluis impensis impares se solvendo reddentes. Detinere enim, quod debetur, eandem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *ad* 2.

Tutores pupillorum suorum bona negligentes aut in suos usus detorquentes. Litigantes fraudulenter sententiam judicis impedientes, aut protrahentes. Causarum patroni, qui contra veritatem stant, justam causam opprimunt, injustitiam defendunt, judices fallere nituntur.

Ditiores usuram exercere solent, & tantùm abest, ut eam peccatum esse sibi persvadeant, ut è contra sibi ipsis quasì de præclaro charitatis opere plures blandiantur. Quorum crudelem misericordiam damnavit olim paganus; à quo cùm quæreretur, quid est usuram accipere? Respondit, quid est hominem occidere.

Dantur verò diversæ usurarum species, neque tantùm ex pecuniarum, sed ex frumentorum mutuo, pecorum aliarúmque rerum locatione iniquum lucrum exigitur, erítque seduli Confessarii, has species inquirendo cognoscere, ut pœnitentes postmodùm aptis interrogationibus, ad criminis hujus confessionem inducat & ad injusti lucri restitutionem absolutionis dilatione compellat; * cùm enim usurarum crimen utriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensatio aliqua fieri non potest, nec locorum ac regionum consvetudinibûs excusari potest.

Qui mutuò dat pecuniam, à quo plusquam dedit, expectat, non pecuniam solùm, sed aliquid aliud plus quàm dedit, sivè illud triticum sit, sivè vinum, sivè oleum, sivè quodlibet aliud, si plus quàm dedit, expectat accipere, fœnerator est, etiamsi se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus, *Prop.* 42. *ab Alex. 7mo damn.*

Illos verò præ cæteris acriùs increpet, qui miserorum necessitate abutentes, ad iniquissimas conditiones eos redigunt.

OC-

OCTAVUM PRÆCEPTUM.

MENDACIA hôc præceptô prohibentur : alia verò sunt jocosa, alia officiosa, alia damnosa, quæ præ cæteris hìc prohibentur, quorum gravitas ex ratione damni illati pensatur.

Idem de perjuriis & falsis testimoniis in judicio præsertim, sivè orétenus fiant, sivè literîs & monumentîs fictîs & supposititiîs.

Huc pertinent calumniæ, detrectationes, quæ eò liberiùs committuntur, quòd popularis hic error ubíque percrebuerit, peccatum non esse, ea referre, quæ vera sunt; contra quem lex naturæ omnibus clamat : alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis. His jungendi sunt detractioni aures voluntariè præbentes, ad eam provocantes, eam promoventes, aut etiam non impedientes, cùm debent & possunt. Susurrones, qui incauta & maligna loquacitate discordias inter fratres seminant, conjugia perturbant, familias odiîs & intestinîs dissensionibûs incendunt. Gravissima verò hæc esse peccata testatur Spiritus Sanctus. *Eccles.* 28. 15.

Suspiciones, cùm ex levibus indiciis de bonitate aliorum dubitare incipimus; judicia temeraria, cùm ex levibus indiciis firmam definitámque sententiam de malitia alicujus habemus, & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale. Nolite judicare, ut non judicemini, quô lo-

cô nihil aliud præcipi nobis existimat Augustinus, nisì ut ea facta, quæ dubium est, quô animô fiant, in meliorem partem interpretemur. *L. 1. de Serm. Dni. in monte c. 18.*

NONUM ET DECIMUM PRÆCEPTUM.

HOC præceptô prohibentur cogitationes ac desideria, quæ puritati, vel charitati erga proximum adversantur; quæ desideria non sufficit confiteri in genere tantùm, sed in specie ultima explicanda est materia, circa quam versantur, v.g. si erga conjugatam, virginem &c. & qualis actus fuerit desiderii objectum.

Cogitationis pravæ delectatio morosa dicitur non ex diuturnitate temporis, sed ex eo, quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec eam repellit, tenens & volens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debent. Etsi ùt plurimùm talis cogitatio, seu delectatio morosa præsertim in materia contra castitatem, mortale peccatum involvat, venialis tamen erit solummodò culpa, si non sit cum plena deliberatione, sed tantùm imperfecta.

Hoc perfectè explicat S. Franciscus Salesius. *Introd. a la vie. Devote p. 5. c. 6.* aliquando enim movetur quis delectatione, quæ ex tentatione provenit, antequam plenè periculum advertat, & hoc est ad multùm levissimum peccatum venia-

niale; quod majùs fit, si postquàm malum advertit, aliquo tempore negligens sit in repellenda delectatione, quasì deliberans an rejiciat, an admittat, & adhuc majus gravatur, si in ea hæreat ex negligentia vera absque ullo proposito rejiciendi: consummatur verò peccatum mortale cùm voluntariè & deliberatè complacet in delectatione cogitationis pravæ.

Cognoscet autem Confessarius an pœnitentes venialiter, an mortaliter peccaverint in cogitationibus contra castitatem, ex vita ipsorum & ex dispositionibus circa actus externos; non est verisimile eos, qui multùm abhorrent peccata externa, qui tanquam à facie colubri fugiunt non solùm, quod verè peccatum est, sed etiam omnem speciem malam; qui sensibus suis invigilant, nè subrepat in cogitationibus malum, voluntariè & deliberatè pravis cogitationibus consentire. Hinc scrupulosæ mentes confirmandæ sunt contra tales tentationes, & ad earum contemptum cogendæ; nec unquam earum perturbationibus cedat Confessarius.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

MISSÆ Sacrificio interesse cum indecenti corporis habitu, oculorum divagatione, voluntaria mentis distractione, garriendi pruritu cum obviis quibusquè, est primi Ecclesiæ præcep-

cepti violatio. Etiam contra illud agit, qui non integram Missam audit, sed tantùm partem, & hujus peccati gravitas pensanda est ex qualitate partis Sacrificii, quæ omittitur, si sit notabilis, peccatum mortale erit: omittere partem notabilem censetur, qui principium, Epistolam, Evangelium omittit, itèm qui recedit antequam celebrans seipsum communicet. Debet ergo quisque corpore & mente adesse integro Missæ Sacrificio cum religiosa attentione ad cultum DEI, quæ attentio toto tempore Missæ permanere debet saltèm virtualiter, qualis est in eo, qui patitur distractiones involuntarias.

Interrogandus pœnitens de dispositione, quâ Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ susceperit. An debita cum præparatione? an cum conscientia peccati mortalis, aut dubio saltem probabili ad Sacram mensam accesserit?

An integrè, distinctè & clarè confessi fuerint peccata mortalia? num scienter aliquod retinuerint, aut ejus gravitatem falsîs excusationibûs imminuerint, verbisve ambiguîs occultaverint? an absque ullo de peccatis suis dolore, cum prava voluntate non retractata in peccato perseverandi, absolutionem receperint?

An ipsa die post Sacramentorum susceptionem aliquod grave peccatum commiserint, in quo enormis est ingratitudo.

An quâ par est religione, pietate, decenti humilíque corporis habitu, an ex necessitate tantùm,

tùm, ob respectum humanum, cum evagatione mentis, salutaria hæc Sacramenta, nec nisi rarò suscipiant?

Qui sinè causa Confessionem & Communionem annalem omittit, duo distincta peccata committit: & qui in Paschate communicare prætermisit in sua Parochia, tenetur quàm citiùs in ea Communionem facere, non enim finitur obligatio elapso tempore Paschali. Olim ab Ecclesia frequentior Communio præcipiebatur, sed licèt annalis tantùm sit de præcepto, Confessarius debet inculcare pœnitentibus, quod sicut periculosum est impurum quemque ad tantum Sacramentum accedere, ità periculosum est, ab hoc, prolixo tempore abstinere. *Theodul. Aurel. Capitul. c.* 41.

Circa jejunium, inquirat an pœnitens ætatem attigerit, in qua lege jejunii tenentur Christiani, nisì aliundè notus sit? huic legi neminem subjiciunt communiter Theologi post S. Thomam, nisì post vigesimum primum annum. An huic præcepto satisfecerit, tum quoad qualitatem ciborum quadragesimalium secundùm consvetudinem loci & usum approbatum, tum quoad unitatem refectionis, in qua propriè ratio jejunii consistit.

Quantùm verò ad abstinentiam dierum veneris & sabbathi, rationis capaces hac lege tenentur, à qua sicut à jejunio excusant morbus aut infirmitas, quibus periculosum redderetur jejunium aut abstinentia.

A Miſſa audienda diſpenſat etiam morbus, aut ſervitium neceſſarium infirmo aut puero, qui abſque periculo deſeri non poſſunt. Qui domûs tuendæ causâ Miſſæ Sacrificio abfuêre, interrogandi ſunt de abſentiæ ſuæ neceſſitate? an non plures ex eadem domo ſub eodem prætextu abfuerint?

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

PECCATA ſingula, quæ ex his fontibus ſcaturiunt, recenſere infinitum eſſet, quare pauca quædam referemus.

DE SUPERBIA.

SUPERBIA morbus eſt divitum, unde dicit Apoſtolus: Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere. Superbia etiam quandoque in viris religioſis latet, & eò periculoſiùs, quod ex bonis operibus originem ducit.

Quale autem peccatum ſit ſuperbia, poteſt perpendi ex quantitate pœnæ: ſuperbiâ cecidit Lucifer, qui erat Angelus in Cœlo, factus eſt Diabolus in inferno. Tunc ſuperbit homo, cùm ex aliquo dono, ſcientia, divitiis & ſe magnum credit, & ſuper alios inflatur, & ſe extollit; cui dicit Apoſtolus: Quid habes, quod non accepiſti, quid gloriaris, quasì non acceperis? 1. *Cor.* 4. 7.

DE AVARITIA.

PECCATUM esse mortale avaritiam monet Apostolus; Avari regnum DEI non consequentur; sed prudentiâ non vulgari opus est, ut Confessarius avarum compellat fateri scelus suum: adeò enim habendi libido excæcat homines, ut nullus penè sit, qui se hujus peccati reum fateatur.

Avarus sibi ipsi & familiæ suæ, vix usum bonorum, quæ possidet, permittit; fructum ex eis necessarium capere, dissipationem reputat; venalem etiam habet animam, hinc peccatô, fraudibûs, injustitiâ divitias augere non veretur: solicitudinibûs anxiis & crudeli cupiditate suffocat & extinguit in se omnem affectum pietatis, religionis & charitatis erga proximum.

Quos ergò pecuniosiores suspicatur Confessarius, interroget, an eleemosynas largiantur, & quantùm? an bono jure bona possideant? an usuras exerceant?

Sed beneficiatis eleemosyna in pauperes imprimis commendetur, eáque liberalior, utpotè qui pauperum bona possideant & ex sacrorum Canonum & Conciliorum decretis superflua honestæ sustentationi in pauperes erogare teneantur. Nascentis Ecclesiæ temporibus, vota fidelium ante pedes Apostolorum ponebantur, eorum judiciô, unicuique proùt opus erat distribuebantur; & licèt crescente fidelium devotio-

nè copiosissimis ac munificentissimis eorum liberalitatibûs sancta donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum successores in tractandis & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint. *Conc. Paris. an.* 829. *c.* 15.

DE INVIDIA.

INVIDIAM definit S. Thomas, tristitiam de bono proximi, proùt æstimatur diminutivum proprii boni, gloriæ vel excellentiæ, & ideò præcipuè de illis bonis invident homines, in quibus est gloria, & in quibus amant honorari.

Tristitia autem de bono alieno contingere potest multipliciter; hinc non omnis tristitia est invidia; qui enim tristatur occasione bonorum, virtutis &c. quibus pollet proximus, non quòd proximus talis sit, sed tantummodò quia ipse similia bona non possidet v. g. quia non est æquè doctus aut sanctus, in peccatum invidiæ non incidit, sed est æmulatio non solùm licita, sed laudabilis, cùm bona spiritualia ad salutem conducentia desideret; ad hanc nos Paulus adhortatur: æmulamini charismata meliora. 2. *Cor.* 12. 31.

Cùm verò temporalia bona, sunt desiderii objectum & eorum defectus tristitiæ causa: est immoderata cupiditas, si desideret res temporales, quæ statum & conditionem ipsius excedunt; non videtur culpabilis, si non desideret nisi id, quod

quod vitæ suæ, familiæ, & statûs sustentationi necessarium est, patienter sustinens illo privari quamdiu DEO placuerit.

Tristitia verò quæ ex odio aut superbia provenit, propriè & verè invidia vocatur. Doceat ergò pœnitentes non effici inanis gloriæ cupidos, invicem provocantes, invicem invidentes, sed charitate participes fieri omnium timentium DEum.

DE ACEDIA.

QUI tempus vitámque terunt dormiendo, otiando, ambulando, genio, deliciis, lusui, indulgendo, utique in statu periculoso saluti esse declarantur: væ vobis, qui habetis consolationem vestram &c. signa verò & effectus acediæ sunt, enormem in rebus ad salutem spectantibus negligentiam præ se ferre: solita Christianæ pietatis officia, ùt preces matutinas & serotinas omittere, aut somnolenter & tepidè peragere: à Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ usu sese abalienare: in virtutis exercitio morosum esse ac tristem, inconstantem in bono proposito: conciones sacras non libenter audire. Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo. *Apoc.* 3. 16.

DE IRA, ET LUXURIA.

DE his peccatis dictum est suprà, dum tractata sunt quintum præceptum & sextum.

DE GULA.

QUINQUE modîs nos gulæ vitium tentat; ſollicitat enim, aut indigentiæ tempora prævenire, aut lautiores cibos quærere, aut accuratiùs præparare, aut menſuram moderatæ, & ſufficientis refectionis excedere; aut nimio ardore in cibum nos ferre.

Utiliter aliquando interrogari poteſt de his pœnitens, num in conviviis epuliſque voluptatem quæſierit illíque ſervierit? ſunt enim, quorum DEus venter eſt, commeſſationibus & ebrietatibus indulgentes, quorum corda aggravantur crapulâ & ebrietate, & in quos ſuperveniet repentina illa dies.

Ebrioſos interrogabit non tantùm de gravioribus vini exceſſibus, quibûs ratio offuſcatur, ac greſſus vacillare ſolent, ſed etiam de levioribus, & quid inde incommodi derivare ſoleat? quæ peccata plerumque committuntur, dum quis vino calet.

DE PECCATIS VARIORUM
STATUUM AC CONDITIONUM.

CONFESSARIUS poſtquam initiô Confeſſionis ex pœnitente ſciſcitatus fuerit, cujus ſit ſtatûs, officii, ac conditionis, eundem factâ peccatorum declaratione interrogabit, an ea,

quæ ſtatûs ſui ſunt & officii impleat, neque tantùm in Confeſſionibus generalibus, ſed etiam in privatis & communibus identidem faciat, nam præter actualia cujuſque ſtatûs peccata, innumeræ dantur omiſſiones, quæ aliquando graviſſima ſunt peccata: cur enim Chriſtus ſervum à bono opere torpentem mitti in tenebras jubet.

Attendat igitur Confeſſarius variarum conditionum officiis & obligationibus: quapropter beati Apoſtoli Epiſtolas frequenter perlegat, in quibus Parentum, liberorum, Præpoſitorum, ſubditorum, cœlibum, conjugatorum & viduarum officia & totius hominis Chriſtiani partes perſpicuè intelliget.

Sanctitatem hominis in eo eſſe poſitam pœnitenti denuntiet, ſi præter mandatorum DEI cuſtodiam, ea ritè & cum recta intentione, quæ muneris ſui ſtatúſque ſunt, perſolvat. Præ cæteris conjuges interroget, num pacificè ſimul vivant? rixarum cauſas, ſi quæ ſint, tollat, mutuum erga ſe ipſos amorem, patientiam pietatémque commendet; fæminas imperio magìs, viros verò ratione ducat. Quòd ſi inter illos diſſidia & acerbiora odia eſſe compererit, petat, an ſe invicem fraudaverint, eámque defraudationem, niſì graviſſima cauſa excuſet, peccatum eſſe demonſtret. 1. *Cor.* 7. 5.

Milites interrogandi de duello, homicidiis, blaſphemiis, rapinis, impudicitiis, ac docendi

ut neminem concutiant, neque calumniam faciant, sed contenti sint suîs stipendiîs.

Qui tributa aut vectigalia colligunt, interrogandi, num amplius quàm quod constitutum est exigant, pecunias Regias defraudent, aut eis ad usuram utantur, vel in proprium commodum. Et sic de aliis officiis, peccata ipsis propria sunt inquirenda.



CAPUT TERTIUM.
DE DILATIONE ABSOLUTIONIS.

§. 1. *An aliquando Absolutio neganda sit vel differenda.*

CUM Sacerdos per Absolutionem non suum, sed Christi beneficium dispenset, legatione enim fungitur pro Christo, non temerè & pro suo arbitrio, sed pro Christi, & Ecclesiæ voluntate ac intentione, suô ministeriô fungatur, nè dissipator sacrilegus habeatur, dum dispensator & œconomus prudens esse deberet: Dominus autem & ad solvendum & ad ligandum claves tra-

tradidit : quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt, & quorum retinueritis, retenta ſunt eis. Contritos enim & bene diſpoſitos abſolvi vult Dominus, obſtinatos verò ac pertinaciter in peccato perſeverantes ligari, quare fruſtra abſolvere præſumit homo, quos peccatorum vinculîs irretitos Divinum judicium condemnat.

Nihil peccatores profundo ſcelerum ſopori immerſos æquè fovet, falſáque ſecuritate demulcet, quàm ſacrilega Abſolutio foris prolata ; facilè enim contra conſcientiæ ſuæ ſtimulum quiſque ſibi perſvadet, cum humana voce Divinum etiam Suffragium conjunctum eſſe : Sicque nullis jam repagulis obicibúſque contineri effrenes hominum cupiditates poſſunt ; quare meritò Confeſſarii muneris ſui hac in parte prævaricatores illud Chriſti ſibi dictum exiſtiment : væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ : quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cùm fuerit factus, facitis eum gehennæ filium duplo quàm vos. *Math.* 23. *v.* 15.

E contra verò quotidiana docet experientia, peccatores abſolutionis dilatione vel negatione quasì ictu fulmineo perculſos è lethali ſomno excitari, & ad meliorem vitam pro Abſolutionis gratia promerenda aſpirare, Sacerdotíque poſtmodùm Patri ac Liberatori ſuo immenſas grates rependere : neque dolor ac triſtitia, ex hac dilatione à pœnitente concepta, Confeſſarium à ſancta hac ſeveritate unquam dimoveant ; eſt

enim

enim triſtitia ſecundùm DEum, triſtitia ad pœnitentiam, quæ operatur ſollicitudinem in peccatore, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. 2. *Cor.* 7. 10. 11.

§. 2. *Quibus neganda ſit Abſolutio.*

NEGANDA eſt Abſolutio malè diſpoſitis. Sunt autem malè diſpoſiti, qui è ſtatu peccati mortalis diſcedere non ſunt parati, vel ſatisfacere DEO aut proximo, vel occaſionem peccati proximam evitare. Tales ſunt 1mò, qui nolunt condonare injuriam, & cum inimico reconciliari. 2dò. qui reſtituere bona aliena & pro poſſe damnum proximo illatum reparare recuſant. 3tiò. Qui pœnitentiam, peccatorum ſuorum gravitati debitam, & prudenter impoſitam implere detrectant. 4tò. Ebrioſi, qui popinas; luſores, qui conventicula; impudici, qui perſonam ſceleris ſui conſortem evitare nollent, aut media ad peccati exſtirpationem neceſſaria rejicerent. Quibus tamen in caſibus Confeſſarius ſequentia obſervabit.

1mò. Nuſquam ità abjiciat pœnitentem, ut eum omni ſpe deſtitutum à ſe dimittat, aut nudis & aſperioribus verbis abſolutione indignum declaret, ne deſperans peccator in pejus ruat, planéque Confeſſionem deinceps rejiciat; & nè ipſe Confeſſarius amarô zelô circumveniatur à ſata-

satana, non enim ignorare debet cogitationes ejus. Circumvenimur ab eo, si per nimiam tristitiam pereat, qui potest liberare per indulgentiam. *Ambr. l. 1. de Pœn. c. ultimo.*

2dò. Nè abundantiori tristitiâ absorbeatur pœnitens, consoletur eum, nec sinè doloris ac charitatis fraternæ demonstratione eum à se Confessarius dimittat: & simili propè ratione alloquatur: Nescis, frater mi, nescis! quantum hic miser animæ tuæ status dolorem mihi pariat; meus enim erga te amor, salutísque tuæ procurandæ desiderium, solvere te à peccatorum vinculis præoptaret, at prohibet hæc pessima animi tui dispositio, prohibet DEUS, officium meum, cujus prævaricator existerem.

3tiò. Fortissimîs, quibûs poterit verbîs, obstinatorum pertinaciam vincere, & induratos emollire animos tentabit; nunc DEI bonitatem, patientiámque commendans, nunc ejus horrendam vindictam, suppliciáque impœnitenti & duro cordi præparata ob oculos ponens, nunc mortis incertam horam, judicii rigorem, æternas inferorum pœnas ad vivum referens. Sed memor verbi Domini, quòd hoc genus in nullo potest exire, nisì in oratione & jejunio, non cesset memoriam pœnitentis facere in orationibus suis, & pœnitentiis iram DEI flectere, ut impleat omnem voluntatem bonitatis in isto peccatore.

4tò. Si pœnitens difficultate perterritus facere refugit pœnitentiam, ejusdem possibilitatem, quin

quin & facilitatem aptîs quibûsdam comparationibûs demonstrabit: v. g. numquid pro sanitate recuperanda abstineres à tali cibo &c. numquid pro gratia Principis aut pro lucro hoc faceres, & forsan duriora passus es? & tu pro DEO, pro anima tua, pro salute tua non audeas? cur tu non poteris quod David & tam multi pœnitentes? &c.

Si pœnitens DEI misericordiam consequi ex peccatorum suorum numero & atrocitate diffidat, erigere desperantis fiduciam conetur Confessarius, miserationes Domini quibûscunque peccatîs majorem commemorans, ejus patientiam & longanimitatem bonitatémque commendans, cor contritum & humiliatum DEum non despicere; dein Christi erga Peccatores mansvetudinem, & ardens salutis eorum desiderium extollet; parabolas itèm de ove perdita, de filio prodigo referet. Séque ipsum si opus fuerit remissionis à DEO obtinendæ cautionem pro pœnitente constituet.

5tò. Pœnitenti, cujus obstinati animi pervicaciam perfringere non poterit, spatium dabit, ut in se revertatur, quô elapsô eum rogabit, ut rursum ad tribunal accedat, & suam post maturiorem deliberationem ultimò sententiam declaret: quem in finem terribiliores fidei nostræ veritates secum interim perpendendas, aut aptas ad emolliendam cordis duritiem preces præscribet, ùt sunt Psalmi pœnitentiales, maximè Psalmus

mus quinquagesimus & breves aliquas preces jaculatorias sæpiùs in die repetendas.

6tò. Quàm primùm Confessarius peccatum audiêrit, quod aut restitutionem rei, vel famæ alienæ, vel difficiliorem satisfactionem requirit &c. interroget pœnitentem, num paratus sit ea præstare: abnuenti declaret Absolutionem utpotè malè disposito negatum iri, neque opus esse, ut ulterius pergat; dicere enim posset pœnitens Confessario: Ut quid peccata mea audire voluisti cùm animô proposueris Absolutionem negare?

§. 3. *Quibus Absolutio sit differenda.*

OMNIBUS dubiè dispositis differatur Absolutio, quousque Confessarius debitæ eorum dispositionis moralem certitudinem per signa sufficientia consecutus sit: sunt autem dubiè dispositi, in quibus aliqua eorum, quæ ad Sacramenti validitatem & essentiam requiruntur, vacillare videntur, sivè Confessionem præcedant, sivè eam comitentur. Nam extra casum necessitatis Sacramenti Minister materiam, sivè remota sit, sivè proxima, moraliter certam, omissa dubia, adhibere tenetur, alioquin Sacramentum nullitatis, pœnitentem verò sacrilegii periculo exponeret, quin & ipse ministerii sui prævaricator esset. Nec sufficit, quòd pœnitentes non agnoscat indispositos, debet enim, qui absolvit

vit agnoſcere & judicare diſpoſitos. Attamen in caſu neceſſitatis v. g. in articulo mortis, licèt dubiè diſpoſito Abſolutionem dare, ſatiùs eſt enim Sacramentum nullitatis, quàm moribundum damnationis periculo exponere.

Remittendi ſunt 1mò. qui gravioribûs peccatîs implicati, in excutienda conſcientia notabiliter negligentes fuêre, quibus ſpatium temporis ſufficiens præſcribetur, quô elapsô Confeſſario ſe ſiſtent. Mitiùs tamen agendum eſt cum perſonis plebeiis & ruſticis, qui ob innatam ingenii ſtupiditatem, ſtrictioris examinis incapaces ſunt, ex quibus Confeſſarius ipſe ſciſcitando, quæ ad rem videbuntur, ſupplebit, quæ deſunt.

2dò. Qui ignorant myſteria fidei ad ſalutem neceſſaria tam neceſſitate medii, quàm neceſſitate præcepti, donec ea didicerint, de quibus ſuprà §. de Fide.

3tiò. Qui ſunt in occaſione proxima peccati, donec ab ea penitùs recedant; non enim ſincerè deteſtantur peccatum, qui illius cauſam & incentivum adhuc amant; caveat Confeſſarius, nè vana ipſorum pollicitatione abduci ſe patiatur, ut abſolvat, peccatis enim communicaret alienis: cùm Spiritus Sanctus moneat eum, qui periculum amat, in periculo periturum eſſe. Prudenter verò ex eo, quod factum eſt, de eo, quod futurum eſt, judicabit, & qualiter pœnitens ſit diſpoſitus, non ex ipſius verbis, ſed ex operibus æſtimabit.

Sub

Sub occaſionem peccati, omne illud cadit, quod peccandi mortaliter cauſam adminiſtrat, vel per ſe & ex natura ſua, ùt domi retinere eam, cum qua peccatur &c. vel per accidens ob certam diſpoſitionem perſonarum; tales ſunt plerumque ſæculi noſtri vitio, mercatura, Magiſtratus & ſimilia officia, in quibus multi ſæpiſſimè mortaliter peccant, perjuriîs, furtîs, calumniîs, odiîs, fraudibûs & injuſtitiâ.

In occaſione proxima voluntaria primæ ſpeciei poſitos non abſolvat, niſì ipſâ realiter & defactò derelictâ, involuntaria autem vel moraliter, vel phyſicè niſì emendatos, & quos peccatô derelictô judicat prudenter nec facilè, nec frequenter peccaturos. Quòd ſi remediîs adhibitîs occaſio illa moraliter involuntaria, ſemper proxima appareat, deſerere cogantur, nihil quippè ſaluti præferendum. Attamen ſi talis ſeparatio generare ſcandalum poſſit, nihil ſtatuat inconſultô Epiſcopô vel ejus Vicariô Generalî, quem conſulet ità ſecretè, ut nulla poſſit de perſonis vel levis oriri ſuſpicio.

In occaſione proxima ſecundæ ſpeciei poſitos etiam non abſolvat, niſì tali officio vel negotio renuntient, vel id non exerceant, niſì cum ipſius vel alterius pii, prudentíſque Confeſſarii conſilio; quo caſu neque eos abſolvet, niſì brevi probatione emendatos compererit.

De his peccandi occaſionibus & Abſolutionis dilatione egregiè ſcripſit Sanctus Carolus in ſuis

monitis ad Confeſſarios, & ſic collapſam in ſua Diœceſi pœnitentiam reſtituit, bonos mores provexit, correxit pravos. Hanc ipſius doctrinam Confeſſarii omnes ſequantur, neceſſe eſt, niſi velint & propriam & pœnitentium conſcientiam quaſi pedibûs proculcare: quòd ſi aliter agant, brevì pœnitentem ad luti volutabrum & ad vomitum ſuum reverſum fuiſſe intelligent, & poſteriora hominis illius facta fuiſſe deteriora prioribûs cognoſcent.

§. 4. *De Relapſu ex habitu.*

NULLUS eſt Confeſſarius adeò ignarus, aut officii ſui oblitus, qui non exiſtimet pœnitenti habenti conſvetudinem peccandi contra legem DEI, naturæ, aut Eccleſiæ, abſque emendatione notabili prævia, differendam eſſe abſolutionem, niſi in caſibus extraordinariis & raris.

Ut autem peccaminoſus habitus detegatur, petat Confeſſarius ex pœnitente:

1mò. An fortem propenſionem & affectum ſentiat in hoc peccatum, illúdque perpetrandi facilitatem.

2dò. An eandem peccati ſpeciem jam confeſſus ſit, & quoties? à quo tempore huic peccato obnoxius? ſæpius enim relapſus in peccatum, de quo quis ſoluit, aut frequentior, vehemens in illud propenſio, demonſtrant habitum, & converſionem difficilem, quam in inſtanti fieri, niſi rarò, pro certo habendum eſt.

3tiò. Inquirat, an ſalutaria remedia mali ſui deſtructiva jam ab alio præſcripta adhibere neglexerit, vulnera enim ſua amat, qui curare negligit.

Ratio deinde habenda eſt variæ indolis, ætatis, conditionis ac diſpoſitionis pœnitentium; ſunt enim alii aliis ſuâpte naturâ in malum propenſiores, in quibus habitus faciliùs & citiùs formatur, & difficiliùs deſtruitur.

Citiùs etiam formatur habitus in rebus venereis ob innatam in peccatum luxuriæ propenſionem & carnis ſtimulos: hinc molles, qui interdum confitentur intra annum, ùt habitudinarii, probandi ſunt, etiam ſi bis tantùm aut ter peccarent; quæ probatio multò magìs requiritur erga illos, qui incidunt ab una Confeſſione ad aliam in peccata, quæ in hac re cum aliis committuntur, cùm & voluntatis majorem deliberationem, & longiorem moram requirant, horum occaſiones rariùs ſeſe offerant.

Eadem ratione tractandus, qui in blaſphemias, maledicta, convitia erumpit, quotieſcunque irraſcitur aut inebriatur, etsi ſecundo quoque & tertio menſe irraſcetur, & cùm in occaſione tentationi ſemper cedat.

Ebrioſi, etsì de graviore ebrietate quinquies aut ſexies ſe reos tantùm agnoſcant in anno, plerumque cum iis, ùt cum habitudinariis agendum eſt, cùm non nisì enormes vini exceſſus confiteri ſolent.

Dicitur verò habitus interruptus, quando habitudinarius vel omninò desiit peccare, vel saltèm post intensiorem consvetudinem non nisì rarissimè recidit, maximè si præscripta sibi medicinalia opera fideliter implevit, aut etiam voluntaria sibi imposuit; tunc enim tametsi aliquoties cadat, poterit absolvi, & Communio Eucharistica, proùt utile judicaverit Confessarius, eidem ad tempus differri.

DE RELAPSU EX ALIIS CAUSIS.

SIVE verò ex habitu, sivè alia ex causa, frequentior in peccatum relapsus fiat, perinde differenda est Absolutio. Talia sunt peccata omissionis, quæ fiunt ex timore difficultatis & ex odio actûs boni. Hinc differenda est Absolutio Parocho, qui Conciones & Doctrinam Christianam in sua Parochia negligeret. * Canonico ultra tres menses sivè continuos, sivè interruptos à choro absenti absque canonica causa, qui tres menses concedi non possunt ei, cujus Ecclesia longius servitii tempus requirit. Beneficiato aut in sacris constituto breviarii recitationem sæpè omittenti, illè præter reatum peccati mortalis, quem incurrit, pro rata omissionis breviarii fructus beneficii suos non facit, nec tutâ

* *Con. Trid. sess. 24. de reform. c. 12. sess. 23. c. 1*

conſci-

conſcientiâ illos ſibi retinere poteſt, ſed aut fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus loci, aut in alios pios uſus erogare tenetur. Clerico, qui in majoribus ordinibus conſtitutus veſtem ac tonſuram clericalem ſecundùm Canones * & Diœceſana decreta portare negligit.

* *Con. Trid. ſeſſ. 14. de reſ. c. 6.*

Omnis denique generis ac conditionis perſonis, quæ propria ſtatûs ſui officia ſub mortali injuncta adimplere negligit, ſi illum plerumque delinquentem cognoſcat, & omiſſio peccatum ſit mortale, Abſolutionem non elargiatur, donec emendatum ſciat.

Multò minùs abſolvendi, qui aliis ſcandalum, & ad peccandum occaſionem præbent, ùt mulieres ac puellæ indecenter veſtitæ, nullô modô * enim permittendum eſt mulieribus, ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, nè ambo prolabantur - ** hæ pompæ curant de proximo luxuriæ negotium, & obſtrepant pudicitiæ diſciplinis. Itèm qui laſcivas imagines efformant, aut vendunt, aut domi ſuæ inſpiciendas exponunt, qui cantilenas obſcœnas componunt, aut coram aliis cantant, aut alios cantare docent.

Caupones, qui ùt incautam juventutem attrahant, frequenter choreas inſtituunt, in iis tolerant, quæ morum puritati contraria, ut dicun-

* *Clemens Alex. in pædag. l. 2. c.* [illegible]

** *Tertul. de cul. tem. l. 2. n. 9.*

ur,

tur, aut fiunt; qui meretrices aut mulierculas meritò suspectas fovent domi suæ, aut ab hospitibus adductas excipiunt, licèt ipsorum conscientia sibi dictet, nonnisì malo fine adduci, qui tempore divinorum officiorum indigenis vina infundunt, aut ebrietatem promovent quolibet tempore.

Domini etiam territoriales, qui prædictas choreas fieri imperant, aut non compescunt, aliáque scandala è subditis sibi locis non eliminant, in quantùm possunt, tam diu non absolvantur, donec meliores se præbeant, suóque munere fungantur, maximè si hac de re jam admoniti fuerint, DEI enim ministri sunt, vindices in iram eis, qui malè agunt. *Rom.* 13. 4.

§. 5. *Quamdiu Absolutio differenda.*

NON nisì temerè pro omnibus & singulis pœnitentibus æquale temporis spatium præscriberetur, quô elapsô Absolutionem priùs dilatam possent consequi, certæ enim regulæ de his præscribi non possunt; sed res hæc Confessarii prudentiæ relinquenda, qui non absolvet pœnitentem, nisì postquàm illum ad Sacramenti gratiam recipiendam ritè dispositum sapienter judicaverit; ad hoc verò cognoscendum apud alios quide[illegible] longiorî, apud alios breviorî spatiô opus [illegible]

[illegible]n pe[illegible]tis quorum frequentior occasio occurrit,

rit, ùt est peccatum pollutionis, aut facilior lapsus, ùt blasphemiæ & aliorum, quæ linquâ complentur, ultra unum mensem potest non differri Absolutio; nam, qui per mensem non committit, quod antea quot septimanis bis, térve committere solebat, jam se meliorem factum esse demonstrat, & habitum peccaminosum interrupisse; Ut verò hæc vel unius mensis dilatio utilior, minúsque onerosa fiat pœnitenti, intra quindecim dies redire jubeatur, ut boni propositi fructus ostendat, & novîs contra peccatum remediîs adjuvetur: quòd si ad præfixum terminum redux profecisse cum DEI gratia videatur, confirmandus est in proposito, monendúsque, quantùm utilitatis erit per alios adhuc quindecim dies se probare, & Absolutionis gratiâ digniorem se reddere: promittat Confessarius se interim pœnitentis in suis Sacrificiis memorem futurum, potentioráque media ad relapsum præcavendum præscribat, quæ si fideliter secutum, & à relapsu præservatum cognoverit, absolvat, neque ulteriùs proroget.

Advertendum tamen, non ideò continuò rursus remittendum esse, qui post intensiorem habitum & frequentiores relapsus semel tantùm ex infirmitate potiùs quàm impellente habitu relapsus est, dummodò tamen monitus se fidelem præstiterit, & pro viribus pravo habitui restiterit, ac dispositus videatur omni conatu à relapsu sibi præcavere; compellatur tamen hujusmodi ad

præ-

præfixum terminum rurſus confiteri, ut ſic pedetentim veterem hominem cum omnibus actibus ſuis exuat, & cautior fiat ex obligatione ſe oſtendendi Sacerdotibus.

Longiori probatione opus eſt circa peccata, quorum occaſiones rariùs occurrunt, in quibus difficile eſt judicare, quando habitus malus ſit deſtructus, necnè, multi enim non relabuntur, quia defuit occaſio, non peccandi voluntas. Nec tamen ut probentur, occaſioni ſe præbere licet. Emendationem cognoſcere poterit Confeſſarius ex diſpoſitione & interno affectu pœnitentis, ſcrutandum cor ipſius, pertingendum uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritûs, & diſcernendæ cogitationes & intentiones cordis; ſi enim pravîs cogitationibûs ſæpè fuerit voluntariè oblectatus pœnitens, ſi occaſiones deſideraverit, viget pravus habitus, etſi ad effectum perduci non potuerit. At verò ſi pœnitentiâ ductus & horrore peccati, remedia contra libidinem adhibuerit, pravæ conſvetudini reluctatus fuerit, prava deſideria aut cogitationes alliſerit ad petram, pro præteritis ſatisfacere cæperit, occaſiones nec quæſiêrit, nec deliberatè deſideraverit; imò præparaverit animam ſuam contra tentationẽ, facilè in iſto pravus habitus deſtructus præſumitur.

Circa ebrioſos vix plurium menſium probatio plerumque ſufficit, ut certum de eorum contritione judicium feratur, videmus enim pauciſſi-

mos

mos hunc habitum deponere, quare S. Carolus in suis monitis ad Confessarios, ad plures menses differendam illis esse Absolutionem svadet. Potest tamen aliquando Confessarius ab hac sancta severitate nonnihil deflectere erga eos, qui humana fragilitate, complacentiâ licèt culpabilî potiùs quàm affectu, propensione & habitu inebriati sunt, tamdiu tamen probandi sunt, donec meliores inveniantur.

§. 6. *Quid agendum Confessario, ut pœnitenti dilationem Absolutionis, non modò tolerabilem, sed & acceptam reddat.*

CUM efferari quandoque pœnitentes & vehementer offendi soleant, dum sinè Absolutione remittuntur, plurimi etiam animum despondentes, Confessionis usum, vel omninò abjiciant, vel ad eam rariùs accedant, vel ad alios Confessarios indulgentiores, cum ingenti animæ suæ damno, spe Absolutionis obtinendæ confugiant, omni sollicitudine allaborandum est Confessario, ut dilationis necessitatem, utilitatémque ità exponat pœnitenti, ut is non modò patienter eam prorogationem ferat, sed etiam ultrò in eam consentiat, promptiórque dein ac melior indè revertatur.

Quem

Quem in finem cavebit imprimìs, nè pœnitentem, quem vult dimittere, acriter arguat, nè convitiîs & probrîs laceſſat, aut amariorî zelô agitatus increpet, quin omni bonitate ac manſvetudine cum illo ità agat, ut eum quietum ac ſpirituali gaudiô plenum à ſe dimittat.

Igitur aptè monſtrabit Confeſſionum præteritarum nullitatem, miſerum animæ ſtatum, ſacrilegii de novo committendi periculum hîs aut ſimilibûs verbîs : *peccatum hoc jam ſæpiùs commiſiſti, ſæpiùs confeſſus es ; confeſſus, emendationem promiſiſti, non ſtetiſti promiſſis, ergò valdè timendum, nè inane fuerit propoſitum, dolor nullus, Confeſſiones ſacrilegæ : quomodò promiſſis tuis nunc crederem, cùm experientia doceat te non impleturum ; quæ enim verbîs aliàs aſtruxiſti, negâſti factis : quomodò eſſem adeò in te crudelis, ut ſacrilega Abſolutione Gehennæ te filium facerem, qui à me vitam poſtulas : quare & mihi & tibi conſulas, velim : mihi, non exigendo, quod ſinè gravi peccato dare non poſſum : tibi, meliùs te ad dignam Sacramenti hujus receptionem diſponendo. Age ergo, & te & me ſecurum reddas. Primevæ Eccleſiæ Canones per plures annos pœnitentiam prorogarûnt fidelibus, duriſſimáque pœnitentiæ opera ob pauciora & minùs gravia peccata injunxêre, & illi quàm promptô ea animô ſuſcepêre, ut Abſolutionem tandem conſequerentur. Et ego tam exiguum tibi præſcribo tempus, vide quàm te promptum, obedientémque præſtare debeas, quas mihi pro tam paterna in te charitate grates rependere.*

De-

Denique cùm pœnitens diſcedet, caveat Confeſſarius, nè ullus circumſtantium advertere poſſit, eum non eſſe abſolutum; pronuntiet ergò ſuper ipſum, antequam à ſe dimittat, preces aliquas, puta, *Miſereatur*, *Indulgentiam &c.* Imò & ipſi benedicat eô modô, quô pœnitentes abſolvit, crucem ſuper ipſum formans, idcircò ſemper ſubmiſſa voce verba Abſolutionis proferat, nè cùm non prolaturus eſt, aliquis id poſſit advertere.

§. 7. *Quid præſcribere Confeſſarius pœnitenti non abſoluto debeat.*

1mò. UT intrà præfixum tempus, ùt ſuprà dictum eſt, ad ſe redeat, habita tamen ratione conditionis, opportunitatis, aliarúmque circumſtantiarum, quas ex pœnitente exquiret, faciátque, ut pœnitens id ſeriò promittat.

Si redire ille ob locorum diſtantiam aut propter alias rationes ad eundem Confeſſarium non poſſit, jubeatur alteri ſe intrà præfinitum terminum ſiſtere, cui Abſolutionis dilationem, ejus cauſam, pœnitentiam impoſitam, & an impleverit, declaret, tametſi verò utiliùs ſit pœnitenti ad eundem reverti Confeſſarium, non tamen ad id cogendus, ſed libertati ſuæ relinquendus videtur.

2dò Ut intereà à relapſu ſe cuſtodiat; hoc eſt

enim

enim finis & fructus Absolutionis dilatæ, & regula, quam Confessarius in absolvendo postmodùm, aut rursus remittendo pœnitente sequi debet.

3tiò. Occasionem proximam relapsûs fugiat, eámque fugam sibi præscriptam esse sciat, tanquam conditionem Absolutionis posteà obtinendæ.

4tò. Remedia ipsi præscribat, quibus sperare possit à peccatis suis retrahendum, & contraria quantùm poterit, peccatis applicet medicamenta, sint etiam pœnalia, quibûs possit iram DEI flectere, & misericordiam consequi, quâ adjutus emergere valeat è misero suo statu; ex istorum etiam operum fideli impletione, de sincero pœnitentis affectu judicari poterit.

5tò. Si in præcedentibus Confessionibus essentiales defectus cognoverit, jubendum est pœnitenti generalem peccatorum suorum Confessionem instituere ab eo tempore, quô habitus formari cæpit, aut ab ultima recidiva, si interruptus fuisset, suámque ea in re operam ei Confessarius promittat. Utiliter etiam aliquando sub nomine Confessionis generalis invisum nomen Absolutionis dilatæ, tanquàm in volucro tegitur; valebit etiam hæc generalis Confessio ad majorem præteritorum peccatorum detestationem.



CAPUT QUARTUM.

§. 1. *De quibusdam Casibus difficilioribus in Confessione occurrentibus.*

PRIMUS CASUS.

QUID faciendum sit Sacerdoti, cùm pœnitens peccatum mortale declarat, quod in præcedentibus Confessionibus voluntariè celavit.

Cùm nullæ sint, quin & sacrilegæ Confessiones eorum, qui peccatum grave ex sua culpa Confessarium celârunt, sivè negligentiâ notabilî in conscientia discutienda, sivè malo pudore, sivè etiam voluntaria cæcitate, id factum fuerit; hos igitur admoneat Confessarius.

1mò. Nullas fuisse & sacrilegas Confessiones, Communionésque illô peccatô posteriores, quas fecerunt cum conscientia talis Confessionis invalidæ. Qui enim post Confessionem voluntariè nullam, faceret alias bona fide procedens, & præcedentis Confessionis defectûs nullam habens memoriam, etiam post diligens examen conscientiæ suæ, istæ non essent sacrilegæ, nec teneretur illas repetere, sed solùm eas, quas fecisset cum conscientia defectûs prioris.

2dò. Ut mederi possint nullitati talium Confessionum, teneri eos omnia & singula peccata

 mor-

mortalia ab eo tempore commiſſa, licèt jam declarata, rursùs confiteri.

3tiò. Declarabunt quoties ab eo tempore Sacramenta pœnitentiæ & Euchariſtiæ, aut alia etiam ſuſceperint, aut aliis contulerint, Miſſas celebrârint, &c. Ut de numero ſacrilegiorum judicari circiter poſſit.

4tò. Si Confeſſarius probabiliter judicat eos plura peccata mortalia ab eo tempore commiſiſſe, utiliter remittet & tempus ad conſcientiam examinandam ſufficiens dabit: nisì ſatiùs ſit aptîs interrogationibûs pœnitentem juvare ad novam peccatorum ſuorum declarationem: ſunt enim, qui Confeſſionem generalem abhorrent, & ùt impoſſibilem reputant.

§. 2. SECUNDUS CASUS. DE RESTITUTIONE.

CIRCA reſtitutionem diffidat ſibi ipſi plurimùm Confeſſarius, neque temerè decidat, cùm quid perplexum ambiguúmque ac difficile occurrit, ſed poſtquàm plenè de caſu pœnitentis inſtructus fuerit, moram ab illo petat; ut coram DEO, quid agendum ſit, poſſit perpendere, & doctos viros conſulere: interroget præterea pœnitentem, an paratus ſit deciſioni acquieſcere, & quod ipſi præcipietur, adimplere.

Nun-

Nunquam pœnitentem, nisì post factam restitutionem absolvat : excipe tamen ?

1mò. Si causa legitima Absolutionem urgeret, & pœnitens certò restituturus videretur etiam post concessam Absolutionem, absolvatur, dummodò tamen promissis suis in eodem casu jam semel aut sæpiùs non defuerit.

2dò. Potest etiam interim absolvi pœnitens, cujus casus iis esset difficultatibus irretitus, quibus extricandis longiori morâ opus esset, dummodò tamen paratus sit doctorum hominum, quos ipse vel Confessarius consuluerit, opinionem sequi, eámque re ipsâ secuturum esse probabiliter credat Confessarius.

3tiò. Absolvatur etiam ante factam restitutionem, qui ob paupertatem restituere nihil omninò potest, dummodò paratus sit id facere * quamprimùm media suppetent, at ordinariè convenit ipsi graviorem pœnitentiam imponere, maximè si culpâ suâ factus est ad restituendum impotens. * *L. 5. dec. c. 3. de furtis.*

4tò. Si quis restituere partem, non autem totum potest, restituat, antequam absolvatur, etiamsì decima tantùm aut etiam vigesima rei alienæ portio esset : interim tamen jubeatur prudentî œconomiâ sumptuum ac superfluarum expensarum amputatione, & suo ipsius reique familiaris incommodô, corrogare ac corradere, quod restituat : & ut in re tanti momenti sollicitum se præbeat, bis térve in anno compella-

F 2 tur

tur Confeſſario ſe ſiſtere, ſuámque reſtituendi obligationem illi declarare; ſicque prudens Confeſſarius ex iis, quæ à pœnitente fuerit ſciſcitatus, intelligat utrùm impoſſibilis ſit necnè reſtitutio, ſivè ex parte, ſivè ex toto facienda, hominíque ad rem adeò difficilem explendam, novos ſtimulos addet: interim tamen adhortabitur pœnitentem, ut continuîs à DEO precibûs expoſcat voluntatem ac media reſtituendi, videátque nè Dominus rei ex longiori reſtitutionis prorogatione detrimentum accipiat.

5tò. Si res ſit levis momenti, abſolvi etiam ante reſtitutionem factam poteſt, ſi promittat reſtituere.

6tò. Reſtitutiones per ſeipſum faciendas non temerè ſuſcipiat Confeſſarius, quòd ſi tamen pœnitens neque per ſe, neque per alium citra infamiæ periculum præſtare id poſſet, ex charitate Confeſſarius ſuum ea in re obſequium non negabit: ſed eâ cautelâ, ut cùm pecuniã aut quamcumque rem à pœnitente traditam proprietario reſtituerit, chyrographum ab eo rei, quam reſtituit, acceptæ teſtem recipiat, ac pœnitenti ſuo tradat, nè is ſuſpicari poſſit, ex re commiſſa aliquid à Confeſſario fuiſſe diſtractum, ità verò cum proprietario agat, ut nulla ei ſuſpicio de perſona reſtitutoris ſuboriri queat, quapropter prudentis eſt Confeſſarii per ſeipſum reſtitutionem non exequi, ſed miniſteriô tertii; in parvis enim civitatibus & Parochiis ipſa Confeſſarii

rii restituentis persona locum dare posset suspicionibus, cùm omnes ferè ejus pœnitentes facilè cognosci possint; Proprietarius, qui adverteret eum, quem furti reum judicat, esse pœnitentem Confessarii, per quem restitutio facta est, in sententia confirmaretur, quod valdè periculosum esset.

7mò. Res aliena ipsi Domino, aut eo deficiente ipsius hæredibus, in natura restituenda est, si possit absque detrimento famæ, nec in pauperes, aut pias causas eroganda est, si Dominus aut ejus personam & jura repræsentans inveniri possint, neque enim pœnitens sic imprudenter restituens, liberatur ab onere, legitimo Domino, aut ejus hæredibus restituendi, quod injustè rapuit.

Neque tantùm res aliena restituenda, sed & damnum ex injustitia secutum resarciri debet: debitores eadem ratione satisfacere creditoribus suis compellantur, cùm injusti rei alienæ possessores fiant, quando solvere ad præstitutum tempus negligunt, vel detrectant.

Difficilior multò habetur alienæ famæ per detractionem læsæ restitutio, quidquid enim in contrarium detractor dixerit, vix unquam sinistram de proximo opinionem semel conceptam hominum animis evellet: meliori igitur quô poterit modô, & absque mendacio læsam famam reparet.

Quare antequam absolutio detur, pœnitens ad per-

personas, coram quibus detraxit, remittatur, ut sinistram opinionem de proximo, quam conceperant ex detractione, destruat: antea tamen inquirendum est, num detractori restiterint audientes, eique fidem non adhibuerint? num detractoris verbis non attenderint? num criminis à detractore propalati fuerint obliti, nullámque sinistram opinionem de proximo habeant: tunc enim is restituendi modus aut non esset necessarius, aut foret ipsa detractione noxior, revocando in memoriam culpam prorsùs oblitam, & audientes forsan impelleret in suspiciones aut judicia contra proximum, quibus prima vice restiterant; cognoscet autem detractor, num qui illum audierant, obliti sint criminis à se olim coram eis narrati, ex modo, quô de proximo solent loqui, & inquirendo quid de illo sentiant: at nè petat ab ipsis, num recordentur eorum, quæ ipsis de proximo narraverat.

Jubeatur prætereà honorificè loqui de persona, cui detraxit, veniámque ab ea petat, si illa detractionis sit conscia, nisì fortè majus malum inde timeatur.

Aliquando etiam fama læsa pecuniâ compensari debet,* cùm alius restitutionis modus nō est possibilis.

Si præsumere Confessarius prudenter posset, post absolutionem concessam detractorem promissis suis non defuturum, absolutio dari poterit, si urgens causa adsit.

* *S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. ad 2.*

At multò severiorem se erga calumniatores præbeat, neque absolvere unquam calumniatorem præsumat, nisi post recantatam palinodiam, additô etiam, si ad fidem adstruendam necesse sit, juramentô, damnóque, si quod indè emersit, in plenum resarcitô; quod debet etiam detractor.

Eadem severitate cum eo agat, qui puellam importunîs precibûs, pollicitationibûs, fraude, minîs aut vî circumventam seduxit: quare tamdiu differatur absolutio, donec illi aut nubat, aut si fieri id absolutè non possit, alia quacumque ratione damnum & infamiam stuprô illatam compenset, prout ipsius & puellæ conditio exigit. *Exod.* 22. 16. 17.

§. 3. Tertius Casus.

DE INIMICITIIS.

NEminem inimicitias foventem absolvat, nisi priùs sincero affectu fratri suo reconciliatum, quòd si aliter fecerit, certus sit pœnitentem in re tam difficili promissis suis defuturum: acturum è contra grates quando peracta reconciliatione ad Confessarium absolutionem consecuturus redibit.

Notandum tamen est, quosdam inter se ità animis

nimis diffidere, ut ex mutuo conſpectu potiùs recrudeſceret odium, quàm extingueretur: quo in caſu per internuntium res tentanda eſt.

Caveat verò Confeſſarius, nè hac in re impoſſibilia jubeat, ſed ſciat ſenſum à conſenſu disjungere, & inter amicitiam & amorem Chriſtianum diſcrimen ponere. Doceat pœnitentem timidioris conſcientiæ, eos motus, quos ex intuitu aut recordatione hominis inimici ſentimus, peccatum non eſſe, cùm ſint involuntarii indeliberati, ſed conſentire in ea, ad quæ movemur, peccatum eſſe, ùt malum precari, vindictā quærere & media illius explendæ, malè de inimico loqui, actiones ejus ſiniſtrè interpretari, gaudere de ejus infortunio, de ejus felicitate contriſtari, communia humanæ ſocietatis officia denegare, quæ abſque ſcandalo aut livore vindictæ omitti nec ſolent, nec poſſunt. Circa hæc puncta pœnitentem interroget, quòd ſi ille, ùt Chriſtianum decet, reſponderit, ſecurum eſſe jubeat, etſi contrarios in animo motus excitari ſentiat: jubeat ex Chriſti mandato pro inimico DEum orare, benignum ac beneficum illi ſeſe exhibere, honorificè de eo loqui, quin & motiva ſuggerat, quibûs iracundiæ motus compeſcantur, & amicitia collapſa reſtauretur, ſi fieri aut poſſit, aut expediat.

Nam prudentia non ſemper dictat amicitiam ineundam eſſe cum eo, quem perfidum & proditorem experti ſumus, & à quo rationabiliter time-

timemus quid simile, aut etiam quid deterius. Non expedit etiam, imò illicitum est, amicitiam & familiaritatem renovare cum iis, qui nobis fuerunt occasio proxima peccati; ab amore verò Christiano dispensare Confessarius nullum potest; est verò amor ille, quô proximo nostro bonum volumus, illúdque reipsâ præstare parati sumus, cùm necessitas postulabit.

§. 4. Quartus Casus.

DEFECTUS MATERIÆ REMOTÆ.

HÆrere sæpè Confessarii solent, cùm Absolutio danda est, eò, quòd materiam sufficientem non habeant.

Triplex verò potest esse ejusmodi casus. 1mò. Circa pœnitentes stupidos & crassioris ingenii. 2dò. Circa scrupulosos. 3tiò. Circa pœnitentes tenerioris conscientiæ, vitæque sanctioris, quæ singula discernere debet Confessarius.

1mò. Sunt, qui ex innata ingenii stupiditate invenire nequeunt sufficientem Absolutionis materiam, sed ea solùm confitentur, quæ speciem levioris etiam peccati vix rationem habent: sic rustici verborum quorumdam nihil de se significantium, in signum tamen levis impatien-

tiæ prolatorum seriem recitant, iisque totam Confessionem absolvunt: hos Confessarius de aliis quibusdam peccatis interroget, quæ admissa ab eis fuisse pro varia statûs, conditionis ac ætatis ratione ominari potest, ùt sunt negligentia circa preces matutinas ac serotinas, detractiones, odia, jurgia, mendacia & discordiæ in familiis ac conjugiis, &c. si nihil extorqueat, moneat, ut anteactæ vitæ graviora quædam peccata repetant, si nec sic quidquam efficiat, petat, utrùm doleant de peccatis omnibus aliquando commissis, & de illis se accusent in genere, quamvìs non possint in specie, & sic eos absolvere posse citra periculum videtur, ùt absolveret moribundum, qui signîs quidem Absolutionem postularet, peccata verò nominatìm confiteri ob lingvæ & virium defectum non posset, potest enim in his ex affectu de effectu præsumi: attamen non necesse est, illis Absolutionem dare, quoties se sistunt ad tribunal pœnitentiæ, si pluries in anno illud frequentant, pueris verò ac puellabus tenerioris ætatis Benedictio non absolutio danda est, cùm materia deest & ratio sufficiens ad tanti Sacramenti receptionem, signum verò stupidi ingenii est, si pœnitens incomptô quôdam ac incompositô modô sinè ulla affectûs interni demonstratione, & loquitur, & ad interrogata respondet.

2dò. Alii conscientiæ erroneæ timoribus agitati ineptias quascunque gravissimorum peccatorum

rum locò habentes, Confessarium næniis suis & scrupulis ad nauseam usque fatigant: qui si contra dictamen conscientiæ suæ aliquid egerint, habent quidem unde absolvi possint, si è scrupulo in verum dubium inciderint, aut etiam in persvasionem malum esse, quod fecerunt. At docendi sunt scrupulum à dubio multùm differre, dubium enim habet rationabile & probabile fundamentum, animúmque ità dividit inter utramque sententiam, ut non possit magìs inclinari in unam quàm in aliam, sed hæreat incertus & anceps, hinc non licet agere contra dubium permanens, at scrupulus cùm nullo rationabili fundamento nitatur, cum ipso stare possunt rationes sufficientes, quibûs cognoscamus trepidationem nostram esse vanam, & veritati esse conforme, aut saltèm magìs probabile id, quod agere determinamus, quapropter non est peccatum agere perseverante scrupulo & contra stimulos ejus; nam in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, non requiritur talis certitudo, quæ omnes scrupulos semper excludat, sed sufficit, ut illos contemnamus.

Non ergo credendum est scrupulosos in omnibus peccare, quæ operantur contra conscientiæ trepidationes & vanas formidines, nec reos esse omnium, de quibus se accusant. Imò si magnus horror peccati in ipsis appareat, summáque vigilantiâ caveant, non tantùm à malo, sed etiam ab omni specie mala, cogendi sunt con-

contemnere iſtos ſcrupulos & contra ipſos agere, nè errore conſcientiæ indè fiant rei, unde laudari merentur, & aliquando ad ſacram Communionem mittendi abſque prævia Abſolutione, quando non aliundè apparent rei certorum peccatorum: ipſos à Communione arcere in pœnam obſtinati in ſcrupulis animi, pluribus non conveniret, cùm ſæpiſſimè nihil aliud per ſcrupulos intendat Diabolus, quàm ut tam ſanctô & ſalutarî cibô privatos faciliùs in peccata præcipitet, aut è puſillo animo in deſperationem uſque perducat.

Tamen acriter increpandi, dum ſuum judicium & conſcientiam doctiſſimorum ac piiſſimorum judicio ac praxi ſubjicere ac conformare reluctantur. Qui tamen infirmitatem ſuam agnoſcunt, & expedire ſe anxietatibus ſuis, & ſcrupulos excutere nequeunt, commiſeratione digni habeantur: quos proindè Confeſſarius paternè conſoletur, DEíque hæc providentiâ permitti ſignificet, ut animus hîs pœnîs excitatus vigilantior fiat contra tentationes: fortis in fide diabolo reluctetur, & purior conſervetur: DEI voluntatem eſſe, ut patienter ferant hanc probationem, quæ patientiâ ad opus perfectum eos perducet, ſi abnegatô judiciô ſuô à doctis viris regi ſe ſinant.

Quos inveniet ità inquietos & ſcrupuloſos in conſcientiæ ſuæ examine, ut huic unicè intenti cætera omnia negligant, qui nunquam contenti pec-

ti peccatorum suorum recognitione, horum discussionem incessanter reiterant; quorum semper perturbata mens est, & in confessione, & post confessionem; his præfigat spatium, quod conscientiæ suæ examini dare poterunt, cum prohibitione ultrà extendendi, ut dolori de peccatis concipiendo sint præcipuè intenti, cùm sit actus maximè necessarius, qui suppleri nequeat, & confessione semel peractâ non ampliùs audiat, Confessarios verò, si quos haberent, qui hos eis scrupulos injecissent, aut injectos foverent, deserere cogantur.

3tiò. Sunt denique animæ sanctiores, quæ vel ipsam peccati umbram extimescentes, non nisi levissima peccata, & quæ vix speciem peccati habent, confitentur, caveat Confessarius, nè hujusmodi pœnitentes abjiciat, aut objurget, quasi minutias quasdam & nugas proponerent, nevè dicat materiam hanc non esse absolutionis, majora esse proferenda, &c. Spiritui enim Sancto, cujus nutu diriguntur, resisteret, & gravem Christo injuriam inferret, à sancto proposito & perfectiori via, pœnitentes suos absterrendo, quin potiùs eos benignè audiens in suo proposito confirmet, & ad meliorum charismatum æmulationem provocatos quasi ducat de virtute in virtutem, monstrétque, *quæ sit voluntas DEI bona*, * *beneplacens & perfecta*, hostis insidias detegat, perplexitates solvat, suum prom-

* *Rom.* 12. 2.

ptus

ptus obsequium consiliúmque offerat: facilè verò hæc præstabit, si ipse sanctus esse studeat, ut sanctitatem alios verbô & exemplô doceat, quē in finem exercitiis spiritualibus assiduè vacet, quo ordine ad perfectiorem vitam pervenire possit.

Quare si animas quasdam perfectioris vitæ desideriô inflamatas cognoverit, doceat primò mentem à gravioribus noxis purgare, malas propensiones, affectúsque terrestres evellere, virtutum Christianarum praxim præscribat, & Christi vitam & passionem tanquam verum earum exemplar proponat, meditatione & rerum cœlestium contemplatione sensim ad DEum elevet.

Nè tamen circa materiæ ad absolutionem necessariæ sufficientiam perplexus hæreat, instruat pœnitentem aliqua anteactæ vitæ peccata graviora, aut saltèm sufficientia ad absolutionem rursùs in confessione recensere, & de iis dolorem concipere.



CAPUT QUINTUM.

Quid peracta peccatorum declaratione faciendum Confessario.

TRia præstabit Confessarius audita peccatorum declaratione. 1mò. Pœnitentem ad dolorem excitabit. 2dò. Absolutionem ritè dispo-

sito

sito impertiatur. 3tiò. Salutarem eidem pœnitentiam injunget.

§. I. *Quomodo pœnitens ad pœnitentiam excitandus?*

MAximam vim & efficaciam ex parte pœnitentis in hac Sacramenti parte positam esse, Confessarius sibi persvasum habeat; quare magnoperè laboret, ut pœnitentem, quem gravioribûs peccatîs irretitum, nec tamen satis contritum, omnî, quô potest studiô ad scelerum suorum detestationem, cordísque compunctionem moveat, quod haud dubiè perficiet, si peccatori suorum criminum horrorem, & suppliciorum eisdem destinatorum séveritatem, tum DEI contempti Majestatem, bonitatémque ac patientiam ob oculos ponat: poterit verò his aut similibus verbis uti, prout cuique convenire judicaverit. *Quot peccata declarâsti; frater mi! & plura fortè te fugiunt, quæ DEus tamen non ignorat. Quot miseros ob pauciora crimina suppliciis æternis mancipavit DEus, & tecum si similiter egisset, jam æternùm arderes: sed pepercit tibi, ut in te divitias misericordiæ suæ ostenderet, ad pœnitentiam ergo te adducat benignitas ejus. Quoties te ad pœnitentiam vocavit? quoties sollicitavit reluctantem, quæsivit errantem, fugientem insecutus est, & tu projecisti eum à te, & ut dæmoni obedires, mundo placeres, libidini servi-*

servires, dereliquisti Dominum DEum tuum, & oblitus es Creatoris tui! poterit etiam aptîs quibûsdam quæstiunculîs, ad quas singulas pœnitens respondeat, ad dolorem excitare, quas pœnitenti proponet, prout ex varia cujusque dispositione necessarium esse intellexerit.

§. 2. *Salutaria quædam remedia ad relapsum præcavendum.*

COnfessarius ubi pœnitentem probè contritum paratúmque ad meliora cognoverit, salutaria quædam eidem remedia ad hunc finem præscribet.

Tamen etsi plurima illorum pro pœnitentia ipsa injungi possint, quin & aliquando debeant, tamen hìc non nisì permodùm consilii proponuntur, nam de pœnitentia infrà agetur.

Cùm varia sit pœnitentium dispositio, ætas, conditio, sexus ac constitutio, varia etiam sint remedia illa & ad cujusque usum conformata: hinc fit, ut generalia tantùm quædam hìc referantur, particularia verò Confessarii prudentis arbitrio relinquuntur.

Itaque ut pœnitens in suo proposito perseveret, monendus erit. 1mò. Ut propositum suum quotidie certâ quâdam horâ reiteret, puta, cùm è lecto surgit, aut Missæ Sacrificio interest, aut cubitum se confert.

2dò.

2dò. Ut quotidie à DEO exposcat, millies potiùs mori, quàm vel unum lethale peccatum committere; hæcque dispositio illi pro fundamento sit.

3tiò. Ut nullum peccatum veniale, in ea materia, in qua mortaliter peccare consveverat, cum deliberatione committat, cùm à veniali pedetentim ad mortale gradus fiat, sæpiúsque contingat, ut quod veniale habetur, mortale sit, & quæ sint venialia, quæ mortalia, difficillimum sit invenire, periculosum definire. *S. August. de Civit. Dei l. 2. c. 29.*

4tò. Ut nusquam matutinas ac vespertinas preces flexîs genibûs persolvendas omittat.

5tò. Ut quotidie libri pii lectione aliquam fidei veritatem perpendat.

6tò. Ut instante tentatione, aut gravi afflictione ad DEum per orationem confugiat.

7mò. DEum sibi præsentem reddat, sibíque identidem hæc suggerat: DEus me videt, num quid ago, quod oculis ejus displiceat? DEus me audit, absit ergo, ut verbô indecentî aures ejus offendam: Scrutator est cordis mei, num quid cogito, aut desidero, quod ille reprobet? &c.

8vò. Ut sæpiùs per diem id, quod agit, aut patitur, DEO offerat.

9nò. Ut hominum de se judicia contemnat, parvi pendens cavillationes ac ludibria, quibûs novæ vitæ inchoatio patere solet, habeátque sibi persvasum, impiorum jocos ac cachinnos per-

timescentibus facilem & certissimum esse ad priora peccata reditum: Christi enim servus esse non potest, qui adhuc hominibus placere quærit.

10mò. Ut magnam in DEO spem collocet, sibíque è contra diffidat plurimùm: hinc præter frequentes ad DEum mentis elevationes, quibûs opem ipsius exposcat, peccandi occasiones etiam remotiores, quantùm potest evitet, sibíque persvadeat, homini in graviora peccata propenso, in fuga occasionum, amore solitudinis mundíque contemptu salutem esse quærendam: hoc in puncto omnium maximè insistet Confessarius.

11mò. Ut per opera satisfactoria sibi imposita Divinæ justitiæ satisfaciat, abstinendo ab iis etiam deliciis, quibûs si non peccâsset, legitimè frui potuisset, nam ex sancto Gregorio non idē jus est, etiam ad licitas voluptates peccatori, quàm animæ innocenti.

12mò. Ut frequenter ad tribunal pœnitentiæ accedant, quô gratiam vel conservent, vel perditam citò recuperent; certè S. Franciscus Salesius singulîs saltèm mensibûs confiteri sua peccata iis svadet, qui salutem suam sollicitiùs quærunt.

13tiò. Ut Confessarium stabilem habeant, eundémque à DEO exposcant, & inter mille, ùt ait Avila, aut ùt S. Franciscus Salesius sentit, inter decem millia eum eligant, sítque talis, qui & sciat, & opere compleat Evangelica documenta, qui mundanam doctrinam & timeat ipse, & aliis

aliis ſvadeat fugiendam, qui viam arctam, quam Dominus ipſe docuit, tenendam proponat; è contra verò à lata & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, pœnitentes abducat.

14tò. Ut frequenter ad ſacram Domini menſam accedant, quò fortiores in ſuo propoſito perſiſtant, & in fortitudine panis hujus ad montem DEI perveniant. Quoties verò hujus vivifici panis participes faciendi ſint, Confeſſarii prudentis erit præſcribere, qui pœnitentis diſpoſitionem pro norma habebit, eóque frequentiùs hanc ei gratiam concedet, quò majorem ille ſibi vim inferet, majoríque curâ & occaſiones peccati fugiet, & pœnitentiæ, virtutúmque Chriſtianarum opera exercebit, quò verò eum negligentiorem compererit, eò rariùs etiam tantum beneficium præſtabit.

15tò. Sanctiſſimam DEI Matrem ſingulari devotione veneretur, cujus patrocinium plurimùm ſemper in Eccleſia valuit. At hæc devotio non in eo tantùm conſiſtat, ut ſtatutas in ipſius honorem preces perſolvat, aut externîs tantùm ſignîs eam colat, ſed virtutes ipſius imitetur, ſed imprimìs tum maximè Matrem veneramur, cùm Filii ejus vitam exprimimus.

16tò. Patronum ſibi particularem eligat, & Angelo imprimìs tutelari impenſiùs ſe commendet quotidie.

17mò. Quot annîs Confeſſionem generalem, quæ omnia totius anni peccata complectatur, deponat;

ponat; si status conditióque patiatur, exercitia spiritualia per aliquot dies suscipiat.

§. 3. De impositione pœnitentiæ.

IN hac parte pœnitentiæ, quemadmodùm & in cæteris, integram peccati destructionem Confessarius sibi unicum finem proponat.

Videat igitur, ut satisfactio, quam imponit, sit ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem, ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, ùt habet Concilium Tridentinum; sit salutaris & conveniens criminum & pœnitentium qualitati, * nè si Confessarius indulgentiùs cum pœnitentibus agat: levissima quædam opera pro gravissimis injungendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur.

In quo tamen singulari prudentia utatur, habita ratione facultatis, complexionis, ætatis, ac statûs seu conditionis pœnitentis; sunt enim laboriosæ quædam conditiones, multùm difficiles, ** quarum labores ac molestias, si patienter pœnitens sustinet, utique multum de satisfactione DEO debita diminuit; potest etiam dolor pœnitentis adeò esse vehemens, ut illius vis pœnam peccato debitam magna ex parte eluat.

Cùm pœnitentia videtur gravior, ex pœnitente sciscitabitur Confessarius, num eam imple-

* *Sess.* 14. *c.* 8. *de pœnit.* ** *Conc. Trid. sess.* 14. *c.* 9. *de pœnit.*

ne possit, síque difficilior videatur, diminui, aut in aliam commutari poterit: pœnitentiam, quam Confessarius suspicari potest, non impletum iri pœnitentem, non imponat, neque pœnitentias inauditas & inusitatas, sed eas, quæ communi usu & prudentûm virorum arbitrio receptæ sunt.

Plures pœnitentias, quæ diversæ sint speciei, non facilè imponat, maximè rudioribus, eò quòd eorum memoria turbari facilè soleat: si tamen plures imponat, repeti sibi illas à pœnitente curet, moneátque ad anxietates & scrupulos evitandos, pœnitentiam per oblivionem omittere peccatum non esse, sed alia vice resumendam.

Pœnitentia talis sit, ut peccatum non detegat, neque illius aliquam suspicionem moveat, * maximè in mulieribus conjugatis, neque juri alterius noceat, puta, si mulieri conjugatæ eleemosynas, peregrinationes præciperet, aut res similes, in quibus non est sui juris, sed mariti; aut famulis præciperet orare unam aut alteram horam, cùm Domino suo laborare debent.

Quale verò pœnitentiæ genus diversis delictorum generibus correspondeat, tametsi antiqui Canones id statuerint, Ecclesia tamen disciplinæ magistra ab illa severitate justas ob causas deflexit, totúmque hoc negotium Confessariorum prudentiæ reliquit.

1mò. Qui infirmitate lapsi sunt, debent mi-

* *Synod. Exomens. an. 1287. tit. 5.*

tiùs tractari, severiùs qui ex malitia, ex habitu, & prava in peccatum propensione.

2dò. Graviorem pœnitentiam esse injungendam pro delictis gravioribus, levem pro levibus delictis. *Petrus Damia. l.* 1. *Ep.* 19.

Meritò ex Concilio Tridentino Confessarii illi, qui ob gravia crimina levem satisfactionem imponunt, peccatis communicare alienis dicuntur, tum quia peccatores ex levi pœnitentia, leve esse peccatum suum arbitrantur, ideóque non modò non absterrentur, sed potiùs in sua malitia confirmantur; tum quia nullus prudens dixerit, pœnam mortali peccato debitam levî precatiunculâ elui posse, ut quid enim Sancti perpetuîs lacrymîs, gemitibúsque & jugi corporis afflictatione vel unum lethale peccatum expiare non destiterunt?

Quare ut horrorem de peccato suo, odiúmque concipiat pœnitens, gravior sit longiórque pœnitentia, ut dicere cum Davide queat, peccatum meum contra me est semper. Pœnitentiæ porrò omnes ad tria potissimùm capita revocari possunt, ùt est in Scriptura: bona est oratio cum jejunio & eleemosyna.

Oratio omnibus est imponenda, utpotè quæ & ab omnibus adhiberi possit, & efficacissima sit, tum ad præterita delicta expianda, tum ad præcavenda.

Jejunium verò non omnibus convenit, non enim imponendum est nutricibus, prægnantibus, infir-

infirmis, pauperibus, neque rusticis, quorum vita perpetuum plerumque jejunium est, neque iis omnibus, qui duris laboribus occupantur, egéntque viribus, quas jejunium infringit.

Eleemosyna itèm pauperibus est impossibilis; neque mediocris conditionis hominibus, qui labore manuum victitant, & copiosam familiam sustentant, præcipienda est: neque iis, qui jus in rem non habent.

Quibus opera duriora imponi non possunt, iis preces statuto tempore quotidie persolvendæ præscribantur, actus itèm contritionis, spei, & amoris DEI sæpiùs repetendi; opera itèm aliàs obligatoria sæpiùs & majori perfectione persolvenda, ùt est in die festo Concionem audire, doctrinæ Christianæ interesse, per mediam horam ad Venerabile Sacramentum orare, adversitates ac mala hujus vitæ patientiùs tolerare.

Pœnitentibus insinuet Confessarius, non procedi cum illis secundùm Canonum rigorem & Ecclesiasticæ disciplinæ antiquā consvetudinem, sed imbecillitatis eorum rationem haberi: pro unico olim peccato septem aut etiam plurium añorum jejunia, aliásque afflictationes fuisse impositas; quibusdam sacram Communionem ad mortis usque articulum fuisse interdictam, hanc Ecclesiæ indulgentiam erga ipsum, voluntariîs pœnitentiîs esse compensandā; vivendum esse deinceps ac moriendum in spiritu pœnitentiæ.

Peccatoribus inveteratis & diuturnâ peccandi

 con-

consvetudine irretitis salubriter pœnitentia ad annum prolongari potest. Opera præcipiantur, quæ sint peccato contraria.

Avaris eleemosyna liberalior præscribatur, ut nunquam Confessarius det suspicandi locum, eam se in suum suorúmve commodum detorquere, eam pauperibus distribuendi partes in se rarissimè suscipiat. Nec etiam Missas, quas pœnitentibus injunxerit, aliquatenus celebret, sed ad alios mittat.

Ebrietatibus & commessationibus dediti jejunent, certísque quandoque obsoniis, epulísque lautioribus ad tempus abstineant, aquam cum vino misceant, &c.

Impudici, jejunió, inediîs, vigiliîs, labore manuum, aliîsque mortificationibûs corpus suum castigent, & in servitutem redigant.

Unicuique habitudinario sua sit pœnitentia destinata, quoties relabitur. Occasionem verò peccati ut sollicitiùs fugiant pœnitentes, eam Confessarius ùt partem pœnitentiæ imponat.

Diligentem verò pœnitentiæ executionem, ùt rem maximi momenti, sedulò pœnitenti commendet, declarétque ejusdem omissionem relapsûs plerumque causam existere.

Pœnitentiæ ab aliis impositæ, sinè causa mutari non debent, quòd si necessitas id postulet, sciat Confessarius quam ob causam injunctæ fuerint.

Pœni-

Pœnitentiæ genera ex actis Ecclesiæ Mediolanensis.

HÆC pœnitentiæ genera à Sanctis viris, Ecclesiasticæque disciplinæ Interpretibus accepta, pro peccatorum ratione adhiberi poterunt.

Ut pœnitens vestium sericarum usu, auri ornamento, conviviorum apparatu, venatione, aliquo certo tempore abstineat.

Ut egentibus cibum suppeditet, administret, pedes itèm lavet.

Ut peregrinos pro facultatum ratione hospitiô excipiat.

Ut in publica domo hospitali per aliquot dies operam navet.

Ut visitet incarceratos, eosdem consoletur; cùm per facultates potest, alat certo præstituto tempore.

Ut se per aliquot dies in monasterium aliquod, aliúmve semotum locum abdat, ubi spiritualibus exercitiis & pœnitentiæ operibus vacet.

Ut aliquot dies carne & vino abstineat, ut certîs diebûs, præsertim feriâ quartâ, sextâ & Sabbathô jejunet, vel etiam solo pane & aqua vivat.

Ut si facultates suppetunt, certam pecuniæ aut frumenti quantitatem in eleemosynam pauperibus conferat.

Ut genibûs flexîs vel etiam brachiîs extensîs in

in modum crucis, aut proſtratus oret certo tempore.

Ut pſalmos pœnitentiales piè recitet aliquot dierum ſpatiô, cilicium induat certîs præſcriptîs diebûs, ut certas Eccleſias ſtationales viſitet.

DE ABSOLUTIONE.

POENITENTEM ſatisfactionem impoſitam adimplere paratum moneat Confeſſarius, ſe abſolutionem ei impertiri, ut rursùm ad dolorē de peccatis commiſſis, & ad propoſitum non peccandi de cætero, atque ad amorem DEI ſe excitet; hortetúrque eum, ut DEum oret, potiùs mori in ſtatu cordis contriti, quàm rursùs peccare.

Dein voce ſubmiſſa, vultu ac animô ad pietatem compoſitô verba abſolutionis pronuntiet, unà cum precibus, quæ præcedunt, & ea quæ ſequuntur, prout eſt in Rituali.

Abſolutione conceſſa pœnitenti Divinæ gratiæ per abſolutionem impertitæ magnitudinem extollet, hortabitúrque, ut receptam quàm diligentiſſimè conſervet, gratésque confeſſionale egreſſus impenſiſſimas perſolvat, neque animô unquam tantum beneficium memoriâque dimittat, & quibûs poterit modîs miſericordias Domini, ſvavitatémque animæ DEO per pœnitentiam reconciliatæ aliis deprædicet, & Patrem miſericordiarum, DEúmque totius conſolationis æternùm laudet.

Ipſe

Ipſe verò Confeſſarius auditis confeſſionibûs, confeſſionale egreſſus, coram Sanctiſſimo Sacramento ſecum ipſe perpendat, numquid fortè officio ſuo defuerit, num molliùs aut etiam ſeveriùs egerit, num abripi ſe impatientiæ motibus permiſerit, aut affectu quodam humano Divinum ſuum miniſterium exercuerit, veniámque petens corrigere proponet, quòd peccavit, gratésque DEO aget, quòd ſe miniſtro in re tanti momenti uti dignatus ſit.





MONITA
Quædam Generalia pro Sacerdotibus animarum curam habentibus.

I.

SACERDOS, qui animarum curam suscepit, in id totus incumbat, ut animas fidei suæ commissas DEO lucrifaciat, sibíque persvadeat, suam ipsius salutem cum hoc suo labore conjunctam esse, dicente Christo: *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Joan. 15. v. 16.*

II. Divinæ gloriæ propagandæ unicè intentus, Salvatoris DEI notitiam, amorémque opere & sermone hominum mentibus inserat, nihílque aut arduum reformidet, aut humile contemnat, ut hunc finem consequatur.

III. Ut bonus Pastor non tantùm corporis ingeniíque vires omnes ovium suarum saluti impendat, sed & animam suam ponere pro iis paratus sit; hoc enim in Christianis omnibus charitas, in Sacerdote etiam justitia exigit: rationem

nem quippe depositi sui supremo animarum Pastori redditurus est. 2. *Cor.* 12. *v.* 15.

IV. * Parochus ad suos legatione pro Christo fungitur, ejúsque personam refert, oportet igitur, ut perfectus sit homo DEI ad omne opus bonum instructus. *Tim.* 3. *v.* 17.

* 2. *Cor.* 5. *v.* 20.

V. * In omnibus se ipsum præbeat exemplum bonorum operum, in doctrina, integritate, facere priùs incipiens quàm docere: providens bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus, ut DEus in omnibus glorificetur. 2. *Cor.* 8. *v.* 21.

* *Tit.* 2. *v.* 7.

VI. Sacerdotis perfectio in continua & intima cum Christo unione consistat, quem & mentis oculis perpetuò præsentem habeat, & sincero cordis affectu super omnia diligat, diligíque ab aliis ardentissimè & exoptet, & pro viribus efficiat.

VII. Quæ sursum sunt, sapiat, non quæ super terram; mortuus enim est, & vita illius abscondita est cum Christo in DEO. *Colos.* 3. *v.* 2. 3.

VIII. Carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis, semper mortificationem JEsu in corpore suo circumferens, ut & vita JEsu manifestetur in corpore suo. 2. *Cor.* 4. *v.* 10.

IX. Perficiat Sanctificationem suam, conscientiam semper puram conservans; neque gra-

vio-

viores tantùm culpas exhorrescat, sed & levissimos etiam nævos reformidans; sanctus sit corpore & spiritu, & placere Domino in omnibus laboret.

X. In vacuum gratiam DEI non recipiat, sed interiores Sancti Spiritûs motus cùm omni fidelitate sequatur, & charismata meliora æmuletur, ut probare possit, quæ sit voluntas DEI bona, & beneplacens, & perfecta. *Rom.* 12. *v.* 2.

XI. Abdicatis ex Christi amore hujus vitæ illecebris, mundo crucifixus sit, hominúmque de se judicia contemnat; qui enim sæculo huic conformatur, & adhuc hominibus placet, Christi servus non est. *Gal.* 1. *v.* 10.

XII. Sectetur justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansvetudinem, cæterásque JEsu Christi virtutes ac passiones, quas jugi meditatione secum ipse revolvat, ut easdem in se ipso efformans, conformis fiat imagini filii DEI, & bonam Confessionem confiteatur coram multis testibus. 1. *Tim.* 6. *v.* 11. 12.

XIII. Orare Sacerdotem sinè intermissione oportet, ut & ipse hostis laqueos, & innumera statûs sui pericula evadat, & congruas Sacerdotii virtutes Divinâ gratiâ consequatur, & aliis utilem se præbeat, DEum laboribûs suîs pro animarum salute susceptîs oratione propitium reddens: operariis enim vineæ suæ Christus illud perpetuò in Evangelio inculcat: * petite &

ac-

accipietis, quærite & invenietis, pulsate, & aperietur vobis; & Apostolus in orationibus suis sinè intermissione suorum memoriam faciebat. *Eph.* 1. *v.* 16.

* *Luc.* 11. *v.* 9.

XIV. JEsus Christus summus Pontifex interdiu pertransibat docendo, & benefaciendo: Nocte autem secessit in montem, ibique in oratione DEI pernoctabat, ut ministros suos doceret, quantum orare eos pro suorum salute oporteret.

XV. Sacerdos Mediatorem se inter DEum & homines constitutum esse meminerit, * omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad DEum. Quare DEum ad importunitatem usque precando sollicitet --- Pater sancte, serva eos in Nomine tuo, quos dedisti mihi --- non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo -- Ego pro eis rogo, quos dedisti mihi, quia tui sunt. *Joan.* 17. * *Heb.* 5. *v.* 1.

XVI. Sit in oratione perseverans, neque si continuò, quod orat, non obtinuerit, ab oratione desistat; vult enim DEus & ejus fidem probare, & remunerare constantiam.

XVII. In difficili animarum negotio quid agat incertus, mentem oculósque ad DEum convertat, qui & lumen ad cognoscendum, & ad perficiendum præstabit auxilium.

XVIII. Fiduciam spémque singularem in DEI bo-

bonitate collocet, neque in mediis periculis ullum casum Divinô fretus auxiliô pertimescat, ubi ex officio, & per DEI superiorúmque voluntatem negotium suscepit.

XIX. Præclariora ingenii talenta multis Sacerdotibus majoris damnationis causa existunt, cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo, & qui plus cæterîs in hoc mundo accepisse aliquid cernuntur, ab authore mundi graviùs indè judicabuntur: cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: quare eò ampliùs Sacerdos laboret, quò præstantiores à DEO dotes accepit, nè ob talentum in terram defossum mittatur in tenebras exteriores. *Grego. Magnus hom. 9. in Evang.*

XX. Cùm labores pro animarum salute suscepti ex voto succedunt, nihil indè laudis sibi Parochus desumat; non enim qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEus, cui omnium bonorum largitori cum omni humilitate grates rependat, se ipsum verò inutilem servum reputet, & cum timore ac tremore salutem suam operetur. 1. *Cor.* 3. v. 7.

XXI. Miseriæ & imbecillitatis suæ sibi ipsi conscius humanas laudes contemnat, neque magnum aliquid gessisse sibi unquam videatur: homo enim videt ea, quæ patent, DEus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16. & quod altum est hominibus, abominatio est ante DEum. *Luc.* 16.

XXII.

XXII. Quantâcunque prudentiâ ingeniíque sagacitate polleat, eam perexiguam existimet: Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Quare illis sæpè verbis utatur: mitte Sapientiam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, & sciam, quid acceptum sit apud te. *Sap.* 9.

XXIII. Scientia sinè humilitate inflat, & doctrina, cùm deest pietas, excæcare solet sapientes, de quibus Apostolus: Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. *Rom.* 1. discat ergo Sacerdos non altum sapere, sed sapere ad sobrietatem, habeat fidem humilem & conscientiam bonam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. 1. *Tim.* 1.

XXIV. Animarum cura omnibus quidem Sacerdotibus periculosa est, sed iis semper funesta, qui eam suscipiunt, antequam sufficiens pietatis & humilitatis fundamentum posuerint.

XXV. Sincera in DEum pietas labores pastorales & præcedat & jugiter comitetur, eósque tanquam anima vivificet: ídque summopere Parochus sibi cavendum arbitretur, nè naturali impetu & ardore abreptus, interioris verò pietatis sensu destitutus, in vacuum laboret, quasì aërem verberans, sed Divinam gloriam laboribus suis ceu scopum præfigat; quin & in aliis etiam actioni-

bus illud Apostoli sequatur - - - sivè manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite. 1. *Cor.* 10.

XXVI. Ut continuum ex laboribus fructum percipiat Sacerdos, omni graviore labe conscientiam suam immunem conservet, quem in finem vel levissima peccata omni solicitudine fugiat, à minimis enim incipit, qui ad majora prolabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet. *Eccl.* 19. & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est. *Luc.* 16.

XXVII. Gravior in Ecclesiasticis functionibus incuria, negligentiáque pessimum animæ statum indicat: maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter. *Jerem.* 48.

XXVIII. Sensus suos Sacerdos sub disciplina custodiat, quia mors ascendit per fenestras: omnes peccandi occasiones, & quidquid allicere concupiscentiam ac titillare solet, tanquam pestem fugiat, qui enim amat periculum, peribit in illo.

XXIX. Frustra sibi Sacerdos, quasi de pietate blanditur, dum pias illustrationes, motúsque crebriores, & sanctioris vitæ desideria pulsare animum sentit, nisi iis fidelem se præstiterit: desideria occidunt pigrum, & majorem gratiæ neglectæ damnationem accersunt.

XXX. Spiritum Pœnitentiæ & sanctæ compunctionis induat Sacerdos, qui prodesse & sibi, & animabus curæ suæ commissis desiderat, cor enim

enim contritum ac humiliatum pro se suísque deprecans, DEus non despiciet.

XXXI. Perpetua pace, animíque tranquillitate fruetur Sacerdos, qui totum se Divinæ voluntati, arbitrióque committit, tametsi fructus labori zelóque suo non respondeat.

XXXII. Omnes quidem, qui piè volunt vivere in Christo JEsu, persecutionem patientur, sed majorem longè impiorum ac dæmonum rabiem experietur, qui alios etiam ad pietatem informat: tantùm verò absit, ut animum despondens à proposito suo desistat, ut potius se ipsum ad majorem æmulationem excitet, illud Apostoli cum fiducia usurpans - - - in omnibus tribulationem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: dejicimur, sed non perimus. 2. *Cor.* 4. & illud - - - quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia &c. *Rom.* 8. *&* *Cant.* 8. fortis ùt mors dilectio, dura ùt infernus æmulatio: aquæ multæ non potuerunt extingvere charitatem, nec flumina obruent illam.

XXXIII. Omne gaudium existimet pius Sacerdos, cùm pro gloria DEI in varias tentationes inciderit: & gaudeat, quòd dignus habeatur pro Nomine JEsu contumeliam pati. *Act.* 5. v. 41.

XXXIV. Qui pro animarum salute, statúsve Ecclesiastici dignitate contra impios aggressores decertans, hominum gratiâ amicitiáque excidit,

DEum habere amicum gestiat; ejúsque favorem omnium hominum benevolentiæ præferat: neque timeat eos, qui corpus possunt occidere, sed eum timeat, qui corpus & animam mittere potest in gehennam. *Matth.* 10. *v.* 28.

XXXV. Quò major esse debet Sacerdotum Sanctitas, quos DEus à cæteris populis segregavit, ut essent Sancti, eò graviora sunt eorum peccata; per Sacerdotes enim Nomen DEI blasphematur inter gentes; quorum Pharisaicam impietatem Apostolùs gravissimìs verbìs perstringit, quæ singula sibi Sacerdos, qui aliud verbìs, aliud exempló docet, meritò applicet, si tu requiescis in lege, & gloriaris in DEO, & nôsti voluntatem ejus, & probas utiliora instructus per legem; confidis, te ipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ & veritatis in lege: qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mæchandum, mæcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis DEum inhonoras: Nomen enim DEI per vos blasphematur inter gentes. *Rom.* 2.

XXXVI. Qui hominem occidit, ex ejus manibus occisi sanguis requiretur; quæ terribilis igitur judicii expectatio, & ignis æmulatio manet Sacerdotem, qui animas ipsas, quas salva-

re debuisset, pravô exemplô seductas interimit.

XXXVII. Sacerdos luxuriæ deditus, duplici, impietatis scilicet & perfidiæ, in DEum scelere se obstringit, Filium DEI proculcat, & Sanguinem testamenti impudicîs manibûs labiisque contrectans pollutum ducit: exemplô suô libidinem in Parochianis fovet, fitque petra scandali, & lapis offensionis infirmis, sacrilegia innumera committit, DEóque execrabilis traditur sæpè in reprobum sensum; & excæcatus mente, cordéque induratus justô DEI judiciô impœnitens interit, à libidinis flammis ad æterna gehennæ incendia transiturus.

XXXVIII. Peccatô carnalî pejor est ebrietas, vitium funestissimum, & malorum omnium in Sacerdote, ac flagitiorum mater: nam & libidinem ipsa procreat, dicente Apostolo, nolite inebriari vinô, in quo est luxuria. *Eph.* 5. Rixas ac contentiones perpetuas domi, forísque excitat, & perversis omnibus cupiditatibus frænum laxat, dum illæ, ratione per crapulam sopita, ruptîs repagulîs undequaque erumpunt.

XXXIX. Dignitatem suam ipsis Angelis terribilem Sacerdos ebriosus ad animalium irrationabilium conditionem demergit, dum comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Ps.* 48.

XL. Vinô obrutus, & præ mentis stupiditate ac hebetudine munia sua adimplere impotens, omnî auxiliô destitutas animas officii sui prævari-

ricator dimittit, de quo & Jeremias conqueritur. *Thren.* 4. Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Et Isaias clamat - - - Sacerdos & Propheta nesciêrunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nesciêrunt videntem, ignoraverunt judicium. c. 28. Ut meritò de Parochis ebriosis illa Christi vox dicta credatur - - - quotquot venerunt, fures sunt & latrones, qui animas à bono Pastore sibi commissas furantur, & perdunt, & mactant.

XLI. Ebrietas præ cæteris flagitiis omnem Divinæ misericordiæ viam Sacerdoti præcludit; tantâ enim vî inolita hæc consvetudo ebriosos sollicitat, tantísque vinum illecebris palatum titillat, ut plures è luxuriæ sordibus emersisse Sacerdotes, nullos propemodùm ab ebrietate resipuisse experientia doceat.

XLII. Ebriosi teste Apostolo regnum DEI non consequentur, utpotè in perpetuo peccati mortalis habitu constituti; quot igitur ac quanta cùm peccata, tum sacrilegia Parochus ebriosus committat, tum primùm accusatrix conscientia docebit, cùm absterla hujus sæculi nocte æternitatis fulgor, & timendi judicii claritas attonitis oculis illucebit.

XLIII. Sacerdos igitur junior ab hac sibi peste præcavens illa scripturæ verba sequatur - - - nè intuearis vinum, quandò floreſcit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè -

sed in novissimo mordebit ùt coluber, & sicut regulus venena diffundet. *Prov.* 23.

XLIV. Aleæ, lusúsque fortuiti rixas solent, blasphemias, egestatem, rerum Divinarum incuriam, temporis dispendium, scandalum, ac injustitiam parere, & Sacerdotem DEO perpetuum inimicum constituere. *Conc. Mogunt.* 813. *Addit.* 3. *c.* 27.

XLV. Sacerdotes, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. *Tim.* 6. non aliò vitiò Judas desperabundus interiit.

XLVI. Parochus, aut quicunque beneficiatus, qui frumenta congerit, ut ex iis tempore penuriæ magnò pretiò distrahendis dives fiat, DEO & hominibus odibilis est. *Capit. Caroli Magni l.* 1. *c.* 131.

XLVII. Nimia hujus vitæ sollicitudine angi, lucro inhiare, pecorum, aliarúmque rerum mercatorem agere, pietatem quæstum putare, usuras exercere, aliáque hujusmodi avaritiæ incitamenta sequi, non modò Sacris Canonibus contrarium est, sed & dignitatem Sacerdotalem apud Laicos contemptibilem reddit. *Conc. Cabil.* 813. *c.* 8.

XLVIII. Ex redditibus Ecclesiasticis nepotes, neptésque dotare, & supra conditionem suam evehere, superbiæ, avaritiæ, & injustitiæ cri-

men est; Pastoris enim bona, quæ honestæ ejus sustentationi supersunt, pauperibus ex Parochia destinata sunt, neque ex illis consangvinei quidquam sibi vendicent, nisi quantum inopiæ illorum sublevandæ necesse est. *Conc. Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 1.

XLIX. Indecorum est, Parochum cum rigore exigere, quæ juris sui sunt, quin & pro Christi amore ad suorum ædificationem juri suo aliquando cedat, in ipso præsertim beneficii ingressu, nè avaritiæ notam incurrat: confidat verò, damnum si quod indulgentiâ suâ patitur, abundè à Christo compensatum iri. *Herald. Arch. Tur. capit.* 35. 132.

L. Causas & lites pro se, suísve susceptas citra necessitatem contentiosè prosequi, pauperibus detrimentum affert, spiritum devotionis extinguit, superfluîs mentem curîs excruciat, odia fovet, & tempus Parochialibus officiis debitum absumit, & Parochianis suis Parochum ùt virum litium ac tumultûs amantem invisum reddit. 1. *Cor.* 6. *v.* 7.

LI. Convenit sæpè ut scandalum evitetur, Parochum bona sua per alios gerere; dedecet verò semper sæcularium decimarum ac proventuum colligendorum in se curam suscipere. *Conc. Mogunt. an.* 813. *c.* 14.

LII. Parochus ex beneficio suo thesaurizans, ut sibi bene sit, & bona plurima in annos plurimos reposita habeat meritò, diviti illi compara-

paratur, cui in Evangelio dictum - - - Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ parâsti, cujus erunt? *Luc.* 12.

LIII. Ut Christus, cùm dives esset, pauper factus est, ut nos divites redderet, sic & Sacerdos paupertatem amet, eáque cum sancta discretione in suppellectili, vestibus, mensâque appareat, ut superfluis expensis amputatis habeat, quod in pauperes erogare possit.

LIV. Non debet Sacerdos thesaurizare sibi thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur; thesaurizet autem sibi thesauros in Cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, neque furantur. *Matth.* 6. v. 19. 20.

LV. Pauperum manibus præmittat in Cœlum, quod possidet in terra, & contempta rerum omnium cupiditate, unius gloriæ Divinæ, & animarum salutis desiderio teneatur.

REGULÆ
Sacerdotibus curam animarum habentibus ad vitam rectè instituendam perutiles.

ORDO, teste Augustino, ad DEum conducit, quem si sedulò Sacerdos constantérque servaverit, non mediocrem Sanctitatis gradum obtine-

tinebit: sin verò neglexerit, cuncta præposterè & obiter aget, & vano se ipsum labore consumet, exiguam à DEO mercedem recipiet, utpote, qui suam non DEI voluntatem secutus fuerit: quare hanc ferè vitæ normam sibi præscribat, & quam fidelissimè poterit, observet.

Singulîs diebûs.

I.

EAdem horâ quotidiè è lecto surgat, habita negotiorum ac valetudinis suæ ratione, neque plus quietis concedat corpori, quàm ad functiones Ecclesiasticas ritè obeundas requiratur.

II. Expergefactus primas cogitationes ad DEum referat, & tanquam ad ejus vocem è strato se proripiat.

III. Solitas DEO preces flexîs genibûs, ubi surrexerit, persolvat.

IV. Coram domesticis suis, aliisque etiam quibuscunque personis nusquam compareat, nisì decenter vestitus, ùt Sacerdotem decet.

V. Mediam saltèm horam Divinarum rerum meditationi impendat, librósque hanc in rem aptos habeat: utatur verò potissimùm novô testamentô, quod Patres & Concilia librum Sacerdotum vocant.

VI.

VI. Cum devotione, & ſtatutis, quantùm per negotia licebit, horis Breviarium recitet.

VII. Miſſæ Sacrificium quotidiè celebret, quia teſte Venerabilî Bedâ Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantùm in eo eſt, privat Sanctiſſimam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, juſtos ſubſidiô & gratiâ, in purgatorio exiſtentes refrigeriô, Eccleſiam ſpirituali Chriſti beneficiô, & ſeipſum medicinâ, & remediô.

VIII. Eâ horâ celebret, non quæ ſibi ſed quæ Parochianis ſit commodior, memineritque, non Parochianos propter Parochum, ſed Parochum propter Parochianos eſſe.

IX. Ad tremendi hujus Sacrificii celebrationem eâ, quâ par eſt, ſollicitudine ſe præparet quotidiè, in fide imprimìs circa Chriſti ſub myſticis ſpeciebus præſentiam ſe exercens, & cum pia Martha exclamans, ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius DEI, qui in hunc mundum veniſti. *Joan.* 11. aut illam Evangelii vocem uſurpans -- credo Domine, adjuva incredulitatem meam. *Marc.* 9. Legat ſæpiùs, quæ ſunt de hac re apud Joannem *c.* 6. *verſu* 32. *& ſequ.* & apud Apoſtolum 1. *Cor.* 11.

X. Chriſtum in horto immensâ triſtitiâ ac pavore abſorptum, & ad cruentum Sacrificium ſeſe accingentem ob oculos ſtatuat, eoſdémque ipſe animi ſenſus hoc Sacrificium innovaturus induat,

ſe-

ſecundùm illud *Phil.* 2. hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto JEſu. *& ſeq.*

XI. Probet verò ſeipſum, & intimos conſcientiæ ſinus perluſtret, nè quid fortè in ea lateat, quod oculos tantæ Majeſtatis offendat; neve propriâ excæcatus malitiâ reatus ſuos fortè non agnoſcat, lumen à DEO petat, dicens cum Pſalmiſta - - - illumina Domine tenebras meas - - - vide, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in viam rectam, proba me DEus, & ſcito cor meum. *Pſ.* 138.

XII. Cor contritum & humiliatum à DEO dari ſibi impensè oret, ſéque ad cordis compunctionem piîs cogitationibûs excitet, & pœnitentiæ lavacro quàm ſæpiſſimè utens, cordis munditiem in dies majorem obtinere ſatagat, illa Chryſoſtomi verba tacitè ſecum ipſe revolvens - - quô non oportet eſſe puriorem tali fruentem Sacrificio, quo ſolari radio ſplendidiorem manum carnem hanc dividentem, linguámque, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit. *Hom.* 16.

XIII. Chriſti pedibus cum humilitate advolutus, eum in Spiritu priùs adoret, antequàm geſtare manibûs præſumat, ſéque ùt mercenarium exiſtimet, indignum, qui filiorum panem manducet, dúmque corpore altare conſcendit, ſe in Eccleſiæ veſtibulo priùs cum Publicano conſtituat.

XIV. Vehemens Chriſto potiundi deſiderium concipiat, in illa Pſalmiſtæ verba prorumpens. *Pſ.*

Pſ. 41. quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad te DEus. Quàm dilecta tabernacula 83. &c. aliiſque precibûs præparatoriîs, ùt habentur in Miſſali, ſemper, quantùm fieri poteſt, utatur.

XV. Inter celebrandum eam vultûs oríſque modeſtiam & totius corporis conformationem præſeferat, quæ tanti Sacrificii Sanctitatem ac Majeſtatem deceant, ut & populo exiſtimationem præbeat, ſe cum DEO, non cum hominibus agere.

XVI. Oculîs, dum ad populum ſe convertit, in terram demiſsîs, neminem adſtantium aſpiciat, ut extraneis cogitationibus viam occludat, & inviſibilem Angelorum Chriſtum adorantium multitudinem revereri videatur.

XVII. Abſit indecens illa verborum rapiditas, quâ plures Sacerdotes tremendum, & vel ipſis Spiritibus formidabile hoc myſterium ità deproperant, ut neque ad ea, quæ ipſi dicunt, animum advertant, neque quid Dominus in ipſis loquatur, audire queant; qui proinde abſque ullo pietatis ſenſu vivificam Chriſti carnem manducant, non dijudicantes corpus Domini. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *de Obſer. in celeb. Miſſ.*

XVIII. Peracta celebratione preces pro gratiarum actione præſcriptas, aut alias, quæ magìs devotionem excìtabunt, perſolvat, neque aut ſtatim Eccleſiâ excedat, aut ad exteriora ſe effundat, ſed ſibi ipſi præſens ſub ſilentio Chriſtum

cor-

corporaliter ſibi præſentem adoret, itaque omnes animi affectus ad Chriſtum dirigat, ut dicere illud in veritate poſſit; vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Chriſtus. *Gal. 2. v. 20.*

XIX. Sacerdos ob admiſſam graviorem culpam myſteriîs abſtinens, totum, quô Sacrificium durâſſet, tempus coram Venerabili Euchariſtia tranſigat, & flexîs genibûs ſupplex veniam deprecetur, majorémque in ſe cuſtodiendo curam polliceatur, & ſi alius ſit, qui celebret, eidem aſſiſtat, & vel ipſa die à lapſu per pœnitentiæ Sacramentum reſurgat.

XX. Antequàm prandium ſumat, brevi examine conſcientiam perſcrutetur, qua ratione diei illius medietatem transegerit, quem in virtute, ſanctóque propoſito profectum fecerit, perpendat: quæ rursùs peccata admiſerit, recogitet.

XXI. Sacerdos ſanctioris propoſiti tenax, eámque Sanctitatem, quæ Sacerdotem decet, conſequi cupiens, examinis particularis uſum diligentiſſimè retineat, quô fiet, ut ad ſublimem brevi Sanctitatem pertingat.

Hoc porrò exercitium à Sanctiſſimis Viris, iíſque omnibus, qui DEO placuerunt, uſurpatum hac ferè ratione inſtitui poteſt.

Propoſita virtute, quam utpotè magìs neceſſariam conſequi Sacerdos ſtatuit, aut vitiô oppoſitô, quod evellere decrevit, cogitatione concepta, in charta aut tabulis lineolas ducat, ſingu-

gulis hebdomadæ diebus è regione deſcriptis reſpondentes : Proponat manè frequens virtutis illius per diem exercitium, aut diligentem vitii oppoſiti fugam : quoties dein virtutem illam aut actu mentis, aut opere exercuerit, aut oppoſitum virtuti illi peccatum admiſerit, lineolæ diei illius notam apponat, ùt habetur in hoc ſchemate, in quo pro exemplo virtus manſvetudinis, vitium è contra iracundiæ ponitur.

Manſvetudo.
Dies Dominica --- | ---
Dies Lunæ ----| | ----
Dies Martis ---| | | |----
Dies Mercurii --| | | | | |---
Dies Jovis ------------------------
Dies Veneris -------------------------
Dies Sabbathi ---------------------------

Lineolæ virtutis ab initio breviores, vitii verò longiores, quia virtus debet creſcere, decreſcere verò vitium.

Iracundia.
Dies Dominica --- | | | | | | |----
Dies Lunæ ---- | | | | |-------
Dies Martis ------- | | | -----
Dies Mercurii -------| | -------
Dies Jovis -------------------
Dies Veneris -------------
Dies Sabbathi ----------

Igitur virtutis aut vitii ſive internos, ſive externos actus in examine Sacerdos notet aut priùs notatos inſpiciat, & pro illis quidem DEO grates agat, pro his verò veniam petat, pœniten-

tentiámque sibi ipsi imponat, ut cautior fiat.

Idem serò ante vel post preces serotinas faciat; dein diem cum die, hebdomadem cum hebdomade, mensem cum mense componens, quantùm in proposita virtute profecerit, vitium verò emendaverit, perspicuè cognoscet, nec desistat, donec virtutis quidem illius facilitatem consecutus fuerit, habitum è contra oppositi vitii exuerit: rursúsque ad aliam transibit virtutem similiter faciendo: sicque egregius sui victor audacter cum Psalmista canet - - - confringam illos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos - - - & rursùs; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum - - - & rursùs - - - ibunt de virtute in virtutem, donec videbitur DEus Deorum in Sion. *Ps.* 83.

Plura de his vide in exercitiis Sancti Ignatii, & libris ascetarum, qui passim habentur.

Hac exercitatione Sacerdos miram sui ipsius cognitionem, & intimam cum DEO unionem, nec mediocrem brevî Sanctitatem consequetur.

XXII. Eâdem semper horâ, quantùm per negotia licebit, Parochus prandium ac cænam sumat, benedictio mensam præcedat, sequatur gratiarum actio, modestia & frugalitas comitetur, neque brevior saltèm pii libri lectio desit.

XXIII. Horîs à labore Pastorali vacuîs habeat quô occupetur, nè otium malorum omnium origo subrepat: antiqui canones artem aut opificium in Sacerdote desiderant, sicut Apostolus labo-

râsse manibûs legitur. *Theodul. Aurel. cap. 3. Conc. cabil. 813. c. 14.*

XXIV. Ægrotós Parochiæ quotidiè invisat, quibus, si pauperes sint, præter spiritualem animæ cibum, eleemosynæ quid impertiatur, libentiùs enim Pastorem audiunt animæ consulentem, à quo corporalis miseriæ levamen accipiunt.

XXV. Duas aut tres horas quotidiè literarum studiis impendat, duo prætereà aut tria ex scripturis capitula legat.

XXVI. A prandio aliquantum temporis in Ecclesia coram DEO & Salvatore suo transigat, & quartam saltèm horæ partem piæ meditationi aut lectioni impendat.

XXVII. Diem vespertinîs precibûs, & conscientiæ examine sanctè finiat, suósque domesticos, ut idipsum coràm præsentes quotidiè factitent, & exemplô, & imperiô suô inducat.



ORATIO PAROCHI

Ad JEsum Christum summum Pontificem quotidiè facienda.

O JESU Pastor æterne, qui es Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlîs factus, qui in

ſancta Sanctorum tui ſanguinis effuſione introiſti: concede mihi, ut vivam vitâ tuâ Sacerdotalî, ut ad exemplum tuum in Sacrificium & holocauſtum me offeram in odorem ſvavitatis Domino. Da, ut vivam de te, per te, & in te, & dicere cum Apoſtolo tuo queam - - - vivo ego, jam non ego, vivit in me verò Chriſtus. Et quoniam conſortem me feciſti regalis tui Sacerdotii, largire mihi indigno, ut omnes ingenii mei vires, omnes cordis mei affectus, quin & vitam ipſam tibi conſecrem, ut per Divinæ gratiæ tuæ auxilium & vivificam Spiritûs tui unctionem ità mea omnia diſponam, ut æterni Patris tui gloriam, & animarum ſalutem & ſanctæ Eccleſiæ tuæ honorem in omnibus, & ubique pro virium mearum tenuitate promoveam, qui cum eodem Patre & Sancto Spiritu regnas per infinita ſæcula, Amen.

Singulîs Hebdomadîs.

I.

QUOT ſeptimanîs peccata ſua confiteatur, eámque in rem ex vicinis Sacerdotibus virum præſtantem in Confeſſarium ſibi deligat, cujus viciſſim ipſe Confeſſiones non audiat abſque neceſſitate, nè ex mutuo obſequio ſanctam ille reprehenſionis libertatem perdat. *Stat. Archep. Nicoſ. an.* 1313.

II. Si Confeſſarius ille vias neſciat, quibûs ad

ad perfectiorem vitam duci animæ solent, alium in vicinia remotiorem quærat, cùm quo singulîs mensibûs de animæ suæ statu agat.

III. Decenter, & eâ, quâ par est, pompâ divinum officium diebûs festîs, dominicísque celebret, aptísque exhortationibûs, & ad populi captum compositîs Parochianos suos in Ecclesiam frequentes alliciat: à prandio verò Vesperas statutâ semper horâ cantet, earúmque cantum, quos inter Parochianos aptiores invenerit, doceat.

IV. Doctrinam Christianam omnî, quô potest studiô concinnè explanet, ùt infrà habetur, ubi de officio Parochi rurani: neque juniores tantùm, & cœlibes omnes ad Catechesim audiendam venire compellat, sed patres etiam ac matresfamilias invitet, quibus efficiet, ut sublatîs choreîs, aleîs, aliísque peccandi illecebrîs DEus honoretur, diésque Festi sanctè ac piè transigantur.

V. Diebûs itèm Dominicîs ac Festîs serò ante crepusculum horâ Parochianis opportunâ eos in Ecclesiam convocet, & preces serotinas voce præcedens cum iis persolvat: hymnorum ac canticorum usus magnum esse solet rusticis in Ecclesiam confluendi incitamentum, & à præstantissimis Parochis adhibetur.

VI. Hostiis in ciborio reservatis post octo, ad plurimum post quindecim dies recentiores substituat, nè vetustate priores corrumpantur.

VII. Pii Sacerdotis est, diebûs jovis coram Venerabili Sacramento prolixiùs orare, & coram Salvatore suo sub mysticis speciebus corporaliter præsente humiliter prostratum injurias eidem sacrilegîs Communionibûs illatas deprecari, juxta illud Joëlis 2. inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini.

VIII. Diebûs veneris Christi patientis mysteria devotè meditetur, séque ad Salvatoris DEI amorem ex ejusdem tolerantiarum consideratione excitet.

IX. Sed neque Sanctissimæ DEI Matris pia quadam exercitatione in ejus honorem suscepta obliviscatur, diésque sabbathinos ejus cultui ab Ecclesia dedicatos esse meminerit.

Singulîs Mensibûs.

I.

SAcerdos ad perfectiora se extendens, unum ex toto mense sibi diem desumat, quô sæculi negotiîs, ac domesticæ rei curîs sepositis, soli DEO, ac rerum divinarum meditationi vacet.

II. Generalem totius mensis Confessionem contexens, quæ in exercitiis spiritualibus sibi proposuit, revolvat, errata corrigat, ac majorem deinceps in iis servandis solertiam fidelitatémque promittat, omnésque ea super re conscientiæ sinus, ei, quem elegit, Confessario detegat.

III. Im-

III. Imprimìs verò ad mortem se disponat, quæ de recommendatione animæ in breviario habentur, tanquam pro se ipso mox pronuntianda, perlegat, & terribilem illam ultimi agonis horam ob oculos ponat, & quantam sibi iram Sacerdos tepidus thesaurizet in die iræ & revelatione justi judicii DEI, attentè meditetur. *Rom. 2. v. 5.*

IV. *Præparet*, quæ circa doctrinam, conscientiæ casus, aliáque pietatis exercitia in Capituli congressu proponat; præparata in charta describat, ut in rebus ambiguis, quæ vel ad animarum, vel ad Parochiæ suæ regimen pertinent, confratrum suorum consiliô, prudentiáq; juvari possit.

Si quis verò intricatior casus occurreret, ad Episcopum, aut ejus Vicarium deferatur, eâ tamen cautelâ, nè ulla circa personam, de cujus negotio agitur, suspicio oriatur.

V. Altaris mappas, corporalia, purificatoria, pallas aliámque id genus suppellectilem ex lino contextam lavari, aut recentiùs commutari jubeat.

Singulîs Annîs.

I.

QUOT annîs octo, aut sex saltèm dies exercitiis spiritualibus impendat, ac Spiritum sancti Sacerdotii languescentem rursùs excitet,

& annua Confessione conscientiam expurgans novô perfectionis zelô accendatur. *2. Tim.* 1. *v.* 6.

II. Tota Biblia intrà annum legendo absolvat, novum verò testamentum bis, si fieri possit, relegat.

III. Quot annis rituale & statuta Diœcesana studiosè perscrutando absolvat, eadémque præterea toties consulat, quoties aliqua circa Sacramentorum administrationem aliáque munia Ecclesiastica difficultas oritur.

IV. Semel itèm casus Papæ ac Episcopo reservatos percurrat.

V. Cum æditud, aliísque loci primoribus, ad quos pertinet, de fabricæ redditibus, corúmque usu agat.

VI. Sacras vestes, & lintea Divinis mysteriis, altarique adornando servientia revisat, si quid in iis lacerum, ac detritum sit, resarciri curet.

VII. Parietes Ecclesiæ à pavimento ad fornicem usque, pulvere, & aranearum telis abstergi jubeat.

VIII. Rubricas itèm breviarii, ac missalis diligenti attentione percurrat.

IX. Bis in anno comitante Vicario, aut æditu Parochianos omnes invisat, familiarum Catalogum texat, puerorum ac puellarum omnium nomina in tabulas referat, ætatem singulorum in-

inquirat, ut ſcire poſſit, quinam ad Sacramenta Pœnitentiæ & Euchariſtiæ admittendi.

X. Ancillarum etiam ac famulorum paternam curam gerat, eorum nomina, & habitationem non ignoret, de recèns advenientibus, & abeuntibus certior fiat, ut ſciat, quinam doctrinæ Chriſtianæ interſint, & cæteris Chriſtiani hominis officiis fungantur, Dominósque eorum, ubi opus fuerit, ea de re commonere poſſit.



MONITA
Particularia pro Parochis & Sacerdotibus Ruranis.

I.

SACERDOS ruranus ſolitudinis & orationis amorem cum ſtudio literarum conjungat, ſed jugi imprimìs ſcripturarum lectione delectetur, ſi eam, quam DEUS à Sacerdote exigit, ſanctitatem conſequi cupit.

II. Vitam ſuam ad ſacrorum Canonum, & Synodalium decretorum normam inſtruat, quam contemnentes Sacerdotes funeſtos exitus habuêre.

III. Parochus in ipſo ſtatim beneficii ſui ingreſſu Dominum territorialem loci, ipſósque primores incolas inviſat, ut eorum ſibi benevolentiam, amicitiámque conciliet: parùm enim

ardentissimô etiam zelô proficiet, nisì Magistratuum authoritate fulciatur, quibus si infensum se reddiderit, perpetuos habebit in suis functionibus adversarios.

IV. Reliquos denique Parochianos omnes adeat, & benevolum se erga singulos, humanúmq; demonstret, ut debitam omnes spem, fiduciámque in Pastore suo collocandam concipiant.

V. Vicinos etiam Parochos invisens singulari omnes bonitate, ac prompta obsequendi voluntate sibi devinciat: nullo tamen familiariùs utatur, nisì quem morum probitate cognoverit commendari.

VI. Non eos tantùm Sacerdotes fugiat, qui apertè mali sunt, sed eos etiam, qui perfectioris vitæ institutum carpere, & sugillare in aliis solent.

VII. Illud sibi pius Sacerdos persvadeat, se à perversis derisum iri, sed contemptâ eorum malitiâ in hoc similis esse Christo gestiat, quem Pharisæi deridebant, & sicut Apostolus, placeat sibi in contumeliis & persecutionibus 2. *Cor.* 12. *v.* 10.

VIII. Cum nobilibus loci, dominísque territorialibus familiaritatem inire, eorúmque avidiùs gratiam aucupari, frequentiorem se illis mensæ socium adjungere, periculosum est Parocho, qui pastorali authoritate deposita timidè cum iis agere cogetur, & abjectissimis obsequiis placere iisdem studens parasitum, non Pastorem agat,

agat, & ingens prætereà temporis dispendium patietur.

IX. E contra verò fastum omnem animíque tumorem, quibûs offendi ùt plurimum nobiles solent, deponat: sed Clericalem quidem gravitatem cum modestia & Christiana humilitate conjungat, memor Christum, cujus personam agit, ministrare, non ministrari venisse.

X. Ità agat cum nobilioribus, nè abjectiores despicari videatur; quare neque frequentiùs illorum domos adeat, nec nisì rarò cum iisdem epuletur.

XI. Cum rusticis familiariùs vivere, compotare, ludere, jocari non attentet Parochus, qui debitam in illos authoritatem, & illorum in se reverentiam conservare cupit: neque tamen illos usque adeò abjiciat, ut nè alloquio quidem dignos judicet, quin potiùs paternum erga illos affectum prodat, séque benevolum ac comem erga omnes præbeat.

XII. Non alia re magìs Parochianorum animos sibi Parochus conciliabit, quam si publicè & privatìm iis testetur, operam suam, studiúmque omne in eorum salute procuranda posita esse, paratúmque esse se quacunque occasione, ac tempore eorum necessitatibus inservire.

XIII. In Parochianorum dissidiis in neutram partem videatur propendere, sed æquali omnes charitate prosequens conceptam de se fiduciam

apud omnes, ut communis omnium Pater conservet, sicque faciliùs pacem restituet.

XIV. Cùm Parochianorum ad se causa delata est, auditis, & perpensis utrinque rationibûs, réque si opus sit, cum viris prudentibus collata, quod justum coram DEO judicaverit, decidat: quod si altercationes, & graviora jurgia intercessêre, expectet, dum prima animi commotio conquiescat, corripiat deinde delinquentes inter se & ipsos; publica enim correptio exasperat magis, quàm emollire animos soleat.

XV. Si graviores inter conjuges rixæ obortæ sint, earum causam, fomitémque inquirat, & suffocare ignem in ipsis statìm primordiis conetur, omnémque divortii occasionem amputet: maritos, si correptione opus est, plerúmque privatim arguat, uxore absente; neque Parentes coram liberis reprehendat: publica enim horum correptio authoritatem à DEO concessam pessumdat, & Parochum invisum reddit; eandem ob rationem si quid à Magistratu perperam fit, nunquam publicè, & è suggestu perstringat.

XVI. Nulli author sit, ut aut militiam sequatur, aut matrimonium cum particulari quadam persona ineat, aut certum quoddam vitæ genus amplectatur, nam mala inde secuta redundare in authorem solent.

XVII. In secunda persona singulari neminem alloquatur, talis enim nuncupatio fastum & superbiam in Sacerdote denotat.

XVIII.

XVIII. Prædecessoris sui vitam, morésque, etsi de se reprehensibiles, nunquam carpat, nè in aliquem ex ejus amicis fortuitò impingat, eúmque sibi inimicum constituat.

XIX. Similiter nihil unquam proferat aut contra Parochos vicinos, aut contra loci Dominum, ejúsque famliam, aliósve Parochianos, cùm hæc ab eorum amicis audita, aut à susurronibus perperam relata, rancores, inimicitiásque gravissimas generent.

XX. Caveat sibi Parochus, nè in sui beneficii ingressu cuncta statim reformare aggrediatur, aut terrificas omnes fidei veritates depromat, antequam Parochianorum animos sibi, amorémq; conciliaverit: nè rerum novarum inventor, atque innovator audiat, suorúmque Parochianorum invidiam, odiúmque incurrat: neque obviis quibúsque delatoribus, mulierculísque fidem astruat, sed singula per se ipsum cautè ac prudenter resciat; quin etiam aliquando dissimulare sciat, ut efficaciùs deindè medeatur.

XXI. In iis tamen, quæ ad Præceptorum DEI & Ecclesiæ, legúmque Ecclesiasticarum observationem pertinent, flecti nesciat, & impiorum murmur in ipso principio compescat, paratúsque sit, eorum, quæ agit, rationem reddere.

XXII. Coram domesticis & quibuscunque demùm laicis de materia Confessionis cum aliis Sacerdotibus nunquam loquatur, nè secretum Sacramentale suspectum reddat, ex quo irreparabilia mala sequerentur.

XXIII. Vicarium ſuum, & Ludimagiſtrum peculiari affectu, ac benignitate proſequatur, quorum teſtimonio & ſuis Parochianis commendetur, & quæ circa hos aguntur, ſcire poſſit.

XXIV. Cognatorum & domeſticorum turba, ſorores, neptéſque in Parochiali domo concurrentes & hæ quidem veſtes ad muliebrem luxum compoſitas ferentes, Parochum quæſtûs, ac lucri cupidum reddunt, & pauperibus eleemoſynæ obtinendæ fiduciam adimunt.

XXV. Parochianorum ſuorum convivia etſi rogatus declinet, nè ſi inter pocula hilarior ſit, debiles ſcandalizet, ſi gravior, moleſtus ac moroſus habeatur.

XXVI. A conviviis verò domeſticis dedicationis ac Patroni Eccleſiæ, quæ à quibuſdam Parochis clamosè ac ſplendidè celebrari ſolent, planè abſtineat, & frequentiores hoſpitûm ad ſe confluxus evitet, nè à Parochianis homo gulæ & abdomini deditus habeatur.

XXVII. Parochi hominum amicitiam & inane munificentiæ nomen venantes domum Parochialem tabernam faciunt, ciborum lautitiâ, viníſque exquiſitîs allectos hoſpites domi ſuæ detinent : pius Sacerdos neglecta hominum de ſe opinione Chriſti doctrinam mundanæ ſtultitiæ præferat; ait enim Chriſtus - - - cùm facis prandium aut cænam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos, neque divites, nè fortè & ipſi te reinvitent,

tent, & fiat tibi retributio : ſed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum. *Luc.* 14.

XXVIII. Induci ſe Parochus non ſinat, ut publicis epulis iiſque Laicorum cætibus interſit, ubi effuſior ſolet eſſe lætitia, nè placendi ſtudio abreptus ea vel dicat, aut agat, quæ Sacerdotem non deceant, vel, quæ ab aliis perperam dicuntur vel aguntur, connivendo præteriens alienorum peccatorum particeps fiat : Eſt enim Parochi officium oves ſuas contra DEI legem delinquentes fraterna correctione reprehendere, aut ſi id ſupervacaneum judicet, vultu ſeveriore, & ad triſtitiam compoſito, quæ mala ſunt, reprobare.

XXIX. Dedecet Sacerdotem, maximè verò Parochum inter ſæculares mimum & hiſtrionem agere, jocíſque & ſarcaſmîs riſum movere; cùm & alioquin hujuſmodi ineptiæ in mendacia & detractiones plerumque deflectant. *Con. Mediol.* 4. *p.* 3. *tit. monit.*

XXX. Animi relaxationes apud Sacerdotem innocuæ ſint & honeſtæ : luſus omnes fortuitos, venationes, aliáque id genus oblectamenta, quæ canones & particularia cujuſque Diœceſis ſtatuta reprobant, omninò fugiat, neque talia ſectantibus interſit, nè ulla ratione ea probare videatur.

XXXI.

XXXI. Bonum est Parocho, omni fœminarum obsequio carere, quòd si tamen ancillæ ministerio ad domestica negotia opus habeat, ea sit ætate, quam statuta præscribunt; neque unquam ab hac lege deflectat Sacerdos & suæ fragilitatis memor, & boni nominis apud suos conservandi studiosus.

XXXII. Quin & Consanguinearum etiam convictu sibi interdicat, Soror enim, ajebat Augustinus, mea Soror est, quæ verò ad ipsam veniunt Mulieres, Sorores non sunt.

XXXIII. Si Matrem apud se aut Sororem habeat, non permittat, ut juniorem illæ puellam introducant, quasì suo aut domesticæ rei servitio necessariam; æquale enim inde Parocho & castitatis & existimationis perdendæ periculum imminet, ac si ipse per se illam conduxisset.

XXXIV. Cum mulieribus, non nisì cùm necessitas subest, conversetur, eáque semper cautelâ, ut quisque judicet, eum non modò graviora peccata, sed vel ipsam peccati umbram timere.

XXXV. Juniores fœminas marito absente nunquam omninò quacunque ex causa invisat, nisì fortè ægrotent, quo tamen in casu neque solus cum iis loquatur; neque earum Confessiones excipiat nisì alio præsente, ità tamen distante, ut audire, quæ dicuntur, non possit, quod & circa alias omnes ejusdem sexûs personas observet.

XXXVI. Devotarum mulierum, quarum conscientiam dirigit, omnem erga se affectum meritò

ritò timeat, licèt enim habeat speciem pietatis, virtutem ejus ferè semper extinguit; quem si subrepere directioni senseris, non nisì in confessionali, cratibûs interjectîs cum iis loquatur; etsi hoc non sufficit, ut periculis obviet, directionem illarum dimittat, maximè si pares erga pœnitentes in se sentiat affectus; cùm enim non ampliùs Spiritu DEI agantur, infirmitate humana à pietate citò dejicientur.

XXXVII. Quin & in ipso pœnitentiæ tribunali eas nonnisì, quæ necessaria sunt, loqui doceat, & superflua confabulatione abscissa ad virtutum Christianarum praxim adhortetur; domum verò ventitare eas nunquam patiatur, neque earum obsequio utatur, ut in re tam lubrica, & castitati, & famæ suæ consulat.

XXXVIII. Vagas mulierculas stipem ostiatim corrogantes pernoctare in domo presbyteriali non sinat, neque inibi earum Confessiones etsi rogatus excipiat; periculosam enim esse hujusmodi misericordiam experientia compertum est.

XIL. Puellas decennibûs majores in domum suam non introducat, ut vel hyeme ad ignem calefiant, aut Christianam doctrinam doceantur; res enim est plena periculi: quibuscunque demùm mulieribus, quarum pudicitia suspecta habetur, fores perpetuò clausas habeat.

XL. Cantilenas amatorias, & quæcunque teneriores affectus excitare possunt, Sacerdos cautus amans omninò ignoret, scurrilitates verò &

tur-

turpiloquia nec nominentur in Sacerdote, ſicut decet ſanctos; ſed nè iis quidem verbis utatur, quæ verti in pravum ſenſum poſſent, nam nugæ inter ſæculares nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Conſecrâſti os tuum DEO, talibus jam aperire illicitum: aſſvefacere ſacrilegium. *Bern. ad Frat.*

XLI. Sacræ Scripturæ textus in profanos uſus nunquam detorqueat, quod & pios meritò ſcandalizat, & Spiritui ſancto, quo inſpirante locuti ſunt ſancti DEI homines, injuriam infert, *Conc. Trid. Seſſ.* 4.

XLII. Caſtitatis amorem, horrorem verò lubricitatis ſuis Parochianis perpetuò inculcet; ità tamen cautè circa hanc materiam ſe gerat, nè juniores doceat, quod ignorabant, & caſtis animabus offenſionis lapidem ponat: vide hac ſuper re praxim Sacramenti pœnitentiæ.

XLIII. Fruſtrà Parochus hanc peſtem inter ſuos graſſantem eliminare aggreditur, niſì illis occaſiones peccati hujus proximas è via tollat, & naſcentia libidinis incitamenta in ipſo ortu ſuffocet, ùt ethnicus Poëta cecinit. Principiis obſta, ſerò medicina paratur:

Cùm mala per longas invaluêre moras.

Frequentiora porrò luxuriæ fomenta hæc ùt plurimum inter rusticos habentur.

I.

NOcturni cætus personarum diversi sexûs, dum in unam simul domum confluunt & noctu ad communem lucernam manent, aut alia simul opera exercent.

II. Frequentiores choreæ diebûs festîs ac dominicîs institutæ, quibus dominorum territorialium, & officialium avaritia plerumque suffragatur, contra canones & edicta Regia.

III. Puellarum ad cauponas confluxus, & longior in iis inter pocula & tibicines commoratio, & nocturnus inter tenebras reditus puerîs eas domum deducentibûs, quam esse scortorum & meretricum consvetudinem, & morientis virginitatis indicia acrioribûs verbîs Parochus demonstrabit.

IV. Pueri ac Puellæ pecora ruri promiscuè pascentes.

V. Liberi utriusque sexûs in eodem lecto cubantes, cùm ætatem malitiæ jam capacem habent, aut cum parentibus in eodem lecto dormientes: qui mos apud pauperes ob lectorum penuriam maximè viget. Parochus autem in hac re non tantùm consilium det, sed & opem præsentem, ùt accuratissimè potest, tantæ impuritatis periculo præstet. *Copc. Med. 6, 6. 27.*

VI. Invigilet ſcholis publicis, nè in illis una ovis hac luce infecta, cæteras omnes inficiat.

Quomodò verò his malis medendum ſit, paucîs hìc refertur.

1. PUblicè in Concionibus & Catecheſibus hujus peccati horrorem identidem ac crebrò capta opportunè occaſione Parochus exageret: illius initium, progreſſus, & funeſtos exitus ob oculos ponat, & tragicîs exemplîs in Scriptura ſacra contentîs confirmet: naturæ proclivitatem, occaſionum vim, ac periculorům multitudinem oſtendat: non dari materiæ hoc in peccato levitatem doceat; innumerabiles hujus peccati committendi vias eſſe, variásque ſpecies; nullius tamen in ſpecie mentionem faciat, nè aures pudicæ offendantur, & innocentes animæ ſcandalum patiantur.

2. Parentes, dominósque ad continuam circa liberos, domeſticósque vigilantiam exhortetur: commoneat inexpiabili delicto, nefarióque ſcelere eos obſtringi, quorum aut injuriâ, aut connivantiâ, aut pravô exemplô juventus in hoc peccatum prolapſa ſit. 1. *Tim. c.* 5. *v.* 8.

3. Privatìm ſivè extra ſivè intra confeſſionale ex parentibus, dominíſque ſciſcitetur, num hac in re invigilent, quid liberis ſuis, domeſticíſque permittant, delinquentes, ſi opus fuerit, etiam negata abſolutione ad officium ſuum compellat: Matres imprimìs edoceat conveniens eſſè, ut filias ſuas ſolas domi, foriſve non dimittant,

4. Diebûs Dominicîs ac Festîs solemniter officia Divina celebret: à prandio, Catechismô, Vesperîs, ac precibûs serotinîs in Ecclesia habitîs juventutem à cauponis, choreis, otióque abstractam piè occupet.

5. Sacros hymnos linguâ vernaculâ compositos inducat, ut & amatorias cantilenas abroget, & puellas præsertìm suâpte naturâ ad cantum propensas sanctioribûs cupediîs allectas à peccandi occasione abstrahat.

6. Brachiô etiam sæculari pravas consvetudines, & inveteratam morum licentiam compescat: quam in rem postpositîs etiam suîs commodîs Magistratuum sibi benevolentiam amicitiámque semper integram conservet.

7. Ipse ùt bonus Pastor in omnibus vigilet, cuncta inquirat, arguat, obsecret, increpet in omni patientia & doctrina, & continuîs precibûs laborum suorum successus DEO commendet. 2. *Tim.* 4. *v.* 20.

8. Frequentiorem Sacramenti pœnitentiæ usum suam in Parochiam inducat, remedium contra carnis vitium longè aptissimum.

9. Divinam Castitatis pulchritudinem, & singulares illius prærogativas graphicô stylô & vivîs coloribûs depingat, ejúsque amorem teneris mentibus instillet.

XLIV. Nihil ità cordi sit Parocho animarum salutis avido, quàm ut Sacramenti Pœnitentiæ utilitatem & frequentiorem usum Parochianis

ſuis iterum iterúmque commendet, ſéque ad id accedere volentibus facilem, promptúmq; exhibeat.

XLV. Diebûs Feſtîs ac Dominicîs in Confeſſionali frequens ſedeat, animáſque peccatrices, ùt Chriſtus ſuprà fontem ſedens, expectet, accedentes ad ſe benignè excipiat, & meliores ſemper à ſe dimittat.

XLVI. Invictâ hac in re patientiâ utatur, ſuſtinens innatam agricolarum craſſitiem, defectúsque rudibus hominibus inditos, ut omnibus omnia fiat, & omnes Chriſto lucrifaciat.

XLVII. Quantô odiô peccatum habeat, tantô peccatores ipſos amore proſequatur, & ex graviſſimis DEI offenſis triſtitiam quidem concipiat, iræ verò erga delinquentes motum omnem compeſcat, & DEI erga ſeipſum bonitatem patientiámque perpendens eâdem & aliis menſurâ remetiatur.

XLVIII. Nunquam dicat, aut agat, quæ amarus aut incitatior zelus ſuggerit, cùm non raró ſatanas in Angelum lucis ſe transformet, incautósque Paſtores ad ea frequenter impellat, quæ primo intuitu bona quidem videntur, poſtmodùm verò funeſtos exitus ſortiuntur: quare non det locum iræ, nec quidquam ſtatuat, donec agitatæ mentis perturbatio conquieverit.

XLIX. Quorum Parochianorum vitam peccaminoſiorem, & variîs intricatam caſibûs judicaverit, iis generalem peccatorum Confeſſionem ſvadeat, ejuſdémque Confeſſionis neceſſitatem, natu-

naturámque explicet. Si advertat peccatorem Confessionem generalem abhorrere, prudentibûs interrogationibûs totum vitæ ipsius decursum percurrat, ut sic per petitiones & responsiones pœnitentem ferè inscium ad generalem Confessionem perducat.

L. Ut sanctam suis confitendi libertatẽ præbeat, & frequentioribus sacrilegiis viam tollat, optimos quosque Confessarios ter aut quater in anno aliundè advocet.

LI. Ægrotos de vita periclitantes quotidiè invisat: morituris verò, etsi sensuum usu destituti videantur, ad extremum usque spiritum, ùt bonus Pastor assistat, eósque Parochos meritò carpendos esse existimet, qui Sacramentîs collatîs discedunt, & miseros in extrema illa lucta omnî auxiliô, solatióque destitutos relinquunt.

LII. Habeat in promptu precatiunculas jaculatorias, & breviora ex Scripturis animæ ad DEum suspiria, quibûs spem morientium erigat, & DEI amorem, bonorúmque æternorum desiderium excitet, quæque certîs intervallîs, & sinè clamore suggerat: peccatorum verò comissorum gravitatem, diviníque judicii rigorem non tantùm non exaggeret, sed nè commemoret quidem, nè pusillanimes in desperationem redigat.

LIII. Non alia re suis Parochus utilior acceptiórque Parochianis existet, quàm cùm teneros puerorum animos ad omnem pietatem effinget.

LIV. Curet, ut Pueri frequentes ad scholas

mittantur: quomodò Magiſtri, Magiſtræque in iis inſtituendis ſe gerant, ipſe ſuîs oculîs quot ſeptimanîs præſens inſpiciat: inquirat ex ipſis, num juventus in frequentandis ſcholis ſit aſſidua, num Magiſtris, ac Parentibus obediens, in Eccleſia modeſta, num ſerò ac manè DEum precetur, certásque ad id precatiunculas memoriâ teneat, cæteráque addiſcat, quæ ſcire ætatulæ illi convenit.

LV. Omnibûs per totum annum diebûs Dominicîs omnem juventutem campanæ ſignô ad Eccleſiam convocet, & Chriſtianam illi doctrinam ex Epiſcopi præſcripto explanet, eóque majorem ea in re induſtriam ponat, quô major indè in totam communitatem utilitas redundare ſolet.

LVI. Separato utriusque ſexu & hinc indè in ſuas claſſes pro varia ætate diſtributo, ſuus cuique locus deſtinetur; præficiantur cuique ſcamno, qui abſentes notent, & Parocho ſcriptos tradant, quos ille, niſi juſtam abſentiæ cauſam habeant, impunè non dimittet.

LVII. Aptîs quæſtiunculîs, & ad captum cujusque propoſitîs, obvios quosque interroget, eadem de re à pluribus reſponderi jubeat, ſolertiores laudet, & munuſculîs juvenilem diſcendi ardorem excitet.

LVIII. Methodus Catecheſis explanandæ longè utilior hæc eſt.

Ordiatur Parochus hymnô ſpirituali, præmiſsîs deinde precibûs memoriter recitantes audiat, &

eorum, quæ priore Catechesimo dicta sunt, rationem exigat; novam deinde doctrinam ex ordine dilucidè, sæpiúsque repetendo explanet, & historiâ explanatam confirmet: rursúsque mox dicta ab obviis quibusque, iísque pluribus exigat, & hymnó rursùs spirituali, solitísque precibûs in commune dictîs finem faciat.

LIX. Æqualem erga divites ac pauperes curam habeat: qui verò pecorum custodiâ detenti venire ad Catechismum non possunt, eos pius Parochus ruri aliquando conveniat, & de necessariis mysteriis instruat; sic enim & Christus pueros amavit, & divitibus pauperes prætulisse legitur.

LX. Quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ, ejúsque partes attinent, majorî juventutem industriâ doceat, & sancti hujus Sacramenti amore, horroréque sacrilegæ Confessionis teneros puerorum animos imbuat: curétque, ut qui pueri ad Sacram Synaxim accedunt, singulîs mensibûs confiteantur, ut morum innocentiam quàm diutissimé conservent, reliqui verò quater saltèm aut quinquies in anno confiteantur.

LXI. In iis, quos ad primam Communionem admissurus est, non tam ætatis, quàm diversæ cujusque dispositionis rationem habeat, & alios quidem maturiùs, tardiùs alios vivificæ communionis participes faciat, prout quisque prævio examine tanto honore dignior judicabitur.

LXII. Nè existimet Parochus, unius quadragesi-

gesimæ laborem pueris, maximè rusticorum, qui tardioris sunt ingenii, ritè disponendis sufficere, cùm vel annus integer efficere vix possit, ut corpus Domini dijudicare discant, eámque, quæ par est, de tanto Sacramento reverentiam concipiant.

LXIII. Præter Catechesim etiam conciones ad populum habendas ità ad officium suum pertinere sibi Parochus persvadeat, ut iîs neglectîs, non modò indignus sit, qui incruentum DEO sacrificium offerat, sed qui nec ipsam absolutionem Sacramentalem consequatur.

LXIV. Secundùm Concilii Tridentini, & Episcopi sui decreta Divini verbì pabulô suos quot septimanîs nutriat. *Sess. 24. c. 4. de Reform.*

LXV. In Concionibus, iis de rebus tractet, quæ ignorantiam, vitiáque extirpent, & veram pietatem promoveant: quod ut consequatur, omni diligentia per septimanam elucubret, quæ inter Missarum solemnia depromat, ut neque extra scopum longiùs excurrat, neque puerilî verborum pompâ, & inanî fucô orationem suam adornet, neque profana argumentorum congerie ex fatuis authoribus desumptâ ministerium suum inhonoret, & auditores suos jejunos dimittat, aut eorum captum sermonis sublimitate transcendat. Sed verbîs clarîs, & solidîs argumentîs ex Patribus & Scriptura desumptîs probare contendat, quod proposuit.

LXVI. Monotoniam, & absurdum vocis teno-

norem evitet, quibus somnus solet, non attentio conciliari, sed familiari utatur sermone, séque communicatione potissimùm, interrogationibus crebrîs in animos audientium insinuet, quod postquam effecerit, vocem sensim contendat, & cum emphasi, & acriori prolocutione cor audientium emollire ac percellere conetur, sæpiúsq; ad propositionis suæ conclusionem revertatur.

LXVII. Habeat Concionum suarum materias eo ordine digestas, ut aliæ quidem de fidei mysteriis, aliæ de Sacramentis, de Decalogo aliæ, aliæ de oratione Dominica concinnè & dilucidè tractent, aliæ in homiliarum modum circa Epistolas & Evangelia versentur; hac enim rerum varietate, & auditores mira voluptate afficiet, & verbi Divini dulcedine inescatos ad Ecclesiam frequentes attrahet, & ipse amplam sibi materiarum sylvam suppeditabit.

LXVIII. Ultra dimidiam horam Conciones suas non extendat, ut & tædium auditoribus tollat, & ipse laborem suum sibi faciliorem reddat.

LXIX. Per se ipsum oves suas Pastor instruat: si necesse sit aliquando aliorum operâ uti, curet, ut de rebus tractent utilibus, & quæ prosint ad vitia, quæ regnare inter suos solent, extirpanda, bonósque mores invehendos. *Conc. Later. 4. c. 32.*

LXX. Præ cæteris rebus mandatorum DEI observationem, saluti consequendæ omninò necessariam importunè commendet, cætera verò

exterioris pietatis exercitia, non nisì media esse ad mandata DEI faciliùs custodienda crebrò inculcet.

LXXI. Neminem è suggestu publicè perstringat, maximè si personæ sint, authoritatem habentes: neque si quid injuriæ aut damni ipse passus est, ea de re unquam conqueratur, aut objurget delinquentes, dedecet enim, ut, qui injuriarum oblivionem alios doceat, ipse indignam Sacerdote vindictam sumat.

LXXII. Non leve est pigritiæ & irreligionis in Sacerdote indicium, cùm lintea, aliáque Altaris utensilia immunda sunt, & pulvere, ac crassitie obducta.

LXXIII. Parochus de fabricæ reditibus curam habeat, neque eos in profanos & illegitimos usus expendi sinat; quod si impedire per se id non possit, superiores ea de re commoneat.

LXXIV. Debitam Principibus obedientiam suos doceat, neque illorum unquam edicta palam carpat: sed subditos esse potestatibus Parochianos doceat, & pro earum salute orare.

LXXV. De Episcopo etiam suo, ejúsque Vicario demissè, & eâ, quâ par est, reverentiâ loquatur, eorúmque mandata cum omni humilitate suscepta observet ipse, & observari à Parochianis suis curet, eorum etiam incolumitatem ovium suarum precibus impensè commendat.

ÓR-

ORDO
SS. MISSÆ SACRIFICII,
CUI ADJUNCTUM
MEMORIALE
DE MUNERE SACERDOTIS BONI,

Ex Instructione Practica

R. P. TOBIÆ LOHNER,
Soc. JESU.



ORDO MISSÆ, ET EJUSDEM RUBRICÆ JUXTA SE POSITÆ

PARS PRIMA.

A Principio Missæ usque ad Offertorium.

1. IN nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.

1. Simul formât signum Crucis à fronte ad pectus; positâ sinistrâ infrà pectus (supra cingulum, & extra terminos Crucis juxta Gavant. hìc) quod semper fit, quoties se signat: quando verò aliud signat, ponit eandem super Corporale; nisi aliud notetur.

2. Introibo ad Altare DEI. ℟. *meam.*

Judica me DEus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me. ℟. *inimicꝰ*

2. Junctis manibus ante pectus, clara voce totum Psalmum recitat alternatìm cum Ministro.

Neque deinceps attendit, quid alibi agatur, etsi Sacramentum elevetur.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. ℟. *meam.*

Confitebor tibi in cythara DEus, DEus meus; quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? ℟. *DEus meus.*

3. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. ℟. *Amen.*

3. Caput Cruci inclinat, Psalmus Judica *non dicitur in Missis defunctorum, nec non in Missis de tempore à Dominica Passionis, usque ad Sabbatum sanctum, exclusivè.*

Introibo ad Altare DEI. ℟. *meam.*

4. ℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini. ℟. *terram.*

4. Dextrâ facit crucem à fronte ad pectus.

5. Confiteor DEO Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virgini, Beato Michaëli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis, Petro & Paulo, omnibus Sanctis, & vobis fratres: quia peccavi nimis cogi-

5. Altari profundè se inclinans, junctîs manibûs dicit Confiteor, *quod prosequitur eôdem modô stans inclinatus, donec à Ministro dictum sit,* Misereatur, &c.

6. Ten

gitatione, verbô, & opere: 6. mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideò precor Beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos, Petrum & Paulum, omnes Sanctos, & vos fratres, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum. Min. *Misereatur* &c. *Sac.* Amen.

6. Ter percutit pectus, sinistrâ infrà pectus positâ.

7. Min. *Confiteor.*

7. Cùm Minister incipit Confiteor, *se erigit Sacer:*

8. Misereatur vestri Omnipotens DEus, & dimissîs peccatîs vestrîs perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

8. Stans erectus, junctîs manibûs dicit.

9. Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis Omnipotens, & misericors Dominus: ℟. *Amen.*

9. Signat se ad pectus à fronte.

10. DEus tu conversus vivificabis nos. ℟. *in te* Osten-

10. Stans inclinatus, junctîs manibûs, recitat sla-

Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. ℟. *da nobis.*

Domine exaudi orationem meam. ℟. *ad te veniat.*

clara voce uſque ad orationem : Aufer à nobis, &c.

11. Dominus vobiſcum. ℟. *Spiritu tuo.* 11. Oremus.

11. Extendit & jungit manus, ac clara voce dicit :

12. Aufer à nobis, quæſumus Domine, iniquitates noſtras : ut ad Sancta Sanctorum, purîs mereamur mentibûs introire. Per Chriſtum Dominum noſtrum. A.

12. Dum dicit ſecretò Aufer &c. *junctîs manibûs aſcendit ad medium.*

13. Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum.

13. Inclinatus, manibûs junctîs ſuper altare, ità, ut parvi digiti ſolùm antipendii ſuperiorem partem tangant, pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito (quæ omnia obſervantur ſemper, quoties manus junctæ ſuper altare ponuntur) dicit : Oramus.

14. Quorum reliquiæ hic ſunt, & omnium Sanctorum : ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

14. Oſculatur Altare in medio, (non ad latus) manibûs extensîs, æqualiter hinc indè ſuper eo poſitîs.

IN- *15.*

INTROITUS.

15. Salve Sancta Parens, &c.

15. Stans in cornu Epistolæ altare versùs, incipit introitum intelligibili voce: simul signat se à fronte &c. & junctîs manibûs prosequitur. In Missis Defunctorum non signat se, sed Crucem in aëre format super librum, quasì aliquid benedicens.

16. Gloria Patri, & Filio, &c.

16. Tenens junctas manus, caput inclinat versùs Crucem.

17. Salve Sancta Parens, &c.

17. Hìc non se signat, ùt priùs, quô finitô, junctîs manibûs accedit ad medium Altaris.

18. Kyrie eleyson.

18. In medio consistens, manibûs junctîs, factâ priùs convenientî reverentiâ, intelligibili voce *Sacerdos dicit :* Kyrie eleyson, Christe eleyson, *idest. bis* Kyrie eleyson, *semel* Christe eleyson, *& iterum bis*, Kyrie eleyson : *alternatim.*

19. Gloria in excelsis

19. Intelligibili voce *dicit : extendens, elevansq: ma-*

20. DEO

21. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, laudamus te, benedicimus te.

22. Adoramus te.

Glorificamus te, 22. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam: Domine DEUS, Rex cœlestis, DEUS Pater Omnipotens. Domine Fili Unigenite, 22 JESU Christe. Domine DEUS, Agnus DEI, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis; qui tollis peccata mundi, suscipe, 22. deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus

manus usque ad humeros. Oculi non elevantur.

20. Cùm DEO dicit, jungit manus, & caput Cruci inclinat.

21. Erecto capite, manibûs junctîs ante pectus, usque ad finem prosequitur.

22. Cùm hæc dicit, caput Cruci inclinat.

22. Iterum.

22. Iterum.

22. Rursus.

ius altissimus. 22. JESU Christe. 23. Cum San-cto † Spiritu, in gloria DEI Patris, Amen.	*22. Iterum.* *23. A fronte se signat ad pectus, interim absolvit* in gloria DEI Patris, A. *Deinde osculatur Altare, cùm manibûs junctîs ante pectus, demissîs oculîs vertens se à sinistro latere ad dextrum versùs populũ &c.*
24. Dominus vobiscum.	*24. Extendens, ac jungens manus ante pectus voce intelligibili dicit :* Dominus &c. *deinde junctîs manibûs per eandem viam revertitur ad librum.*
25. Oremus.	*25.* Extendit, *ac jungens manus ante pectus, caput Cruci inclinans, dicit :* Oremus.
26. Concede nos famulos tuos, &c. 26. B. Mariæ semper, &c.	*26. Tum extendit manus ante pectus, ità, ut palma unius manûs respiciat alteram, & digitîs simul junctîs, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiámque non excedat : (quod in omni extensione manuum ante pectus servatur) & recitat Orationem.*

27. Per Dominum nostrum.

28. JESUM.

27. *Cùm dicit :* Per Dominum, *jungit manus, & tenet junctas usque ad finem : quòd si non dicatur* per Dominum, *sed :* qui vivis, & regnas, *tunc jungit, cùm dicit :* in unitate.

28. *Cùm nomen JESU dicitur, inclinat caput versùs Crucem, quod etiam fit, cùm id legit in Epistola. Sed ubicunque nominatur nomen MARIÆ, vel SS. de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio specialis, ùt de festo simplici, &c. inclinat caput versùs librum, etiam in Canone, si ibidem eorum Sanctorum Nomina recurrant. Ad Nomina autem Sanctorum, (excepta B. Virgine) in oratione :* A cunctis, *caput non est inclinandum.* Gavant. *p. 2. tit. 5. lit. c. Itèm cùm fit Oratio pro Papa, ad Nomen ejus semper inclinat caput, non tamen versùs Crucem, sed librum, nisì per accidens, in Canone, cùm ex memoria dicit.*

Epistola.

29. Lectio libri Sapientiæ. Ab initio &c. detentio mea.

Minister. ℟. DEO gratias. Benedicta & venerabilis, &c.

29. *Cùm dicit intelligibili voce Epistolam & Graduale, potest ponere manus ad arbitrium, vel super librum: ut palmæ librum tangant, vel librum teneant. Diligenter autem caveat, nè alterutram manum solam tantùm, si cum altera sit occupatus, suspensam in aëre teneat* Gerlac. *p.* 2. *tit.* 4. §. 4. *Quod & deinceps observatur.*

30. Munda cor meum, ac labia mea, Omnipotens DEus; qui labia Isaiæ Prophetæ calculô mundâsti ignitô, ità me tuâ gratiâ miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum dignè valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum, Am.

Jube Domine benedicere.

Dominus sit in corde meo & labiis meis, ut dignè, & competenter annuntiem Evangelium suum.

30. *Lectô Graduali, redit junctîs manibûs ad medium, ibi stans junctîs manibûs ante pectus, elevatísque ad DEum oculîs, & statim demissîs dicit secretò:* Munda &c. Jube Domine &c. *manus non ponit super Altare, & dicit profundè inclinatus. In Missis Defunctorum omittitur* Jube Domine; *non autem* Munda.

31. Amen.	*31. His omnibûs abſolutîs, vadit ad cornu Evangelii ſtans.*
32. Dominus vobiſcum.	*32. Versùs librum junctîs manibûs dicit intelligibili voce,* Dominus.
33. Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Lucam.	*33. Deinde pollice dextræ manûs ſignat Cruce initium Evangelii, poſteà ſe in fronte, ore, & pectore, dicens :* Sequentia *vel* Initium &c.
34. In illo tempore: extollens vocem quædam mulier,&c.	*34. Junctîs manibûs iterum ante pectus ſtans, proſequitur Evangelium uſque ad finem, in quo, ſi occurrit Nomen JEſu, caput ſemper inclinat versùs librum, & ità genu flectit versùs librum, ſi neceſſè ſit ; at verò, ſi proſtet Venerabile, parùm versùs illud*
35. Per Evangelica dicta deleantur noſtra delicta.	*35. Poſt dictum Evangelium elevat parùm librũ, & oſculatur principium Evangelii dicens ſecretò :* Per Evangelica &c. *exceptâ Miſsâ defunctorum, & præſente Epiſcopo in ſua Reſidentia.*

36. Credo in unum DEum.

36. Stans in medio elevat, & extendit manus, & inclinat caput Cruci.

37. Patrem Omnipotentem, Factorem Cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum

37. Prosequitur junctis manibus erecto capite.

38. JESUM Christum FiliumDEI unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, DEum de DEO, lumen de lumine, DEum verum de DEO vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.

38. Inclinat caput.

39. Et incarnatus est de Spiritu Sancto exMaria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: subPontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundùm Scripturas, & ascendit

39. Genu flectit usque ad Homo factus est *inclusivè, poplite usque ad terram demisso, quod in omni genuflexione ubique, & semper observandum est.*

in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem: qui ex Patre, Filióque procedit. Qui cum Patre & Filio.

40. Simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Et exſpecto reſurrectionem mortuorum, & vitam 41. venturi sæculi, Amen.

40. Inclinat caput Cruci.

41. Signat ſe Cruce à fronte ad pectus. Quando omitti debeat ſymbolum, alibi dictum eſt.

PARS II.

Ab Offertorio usque ad Orationem Dominicam.

42. **Dominus vobiscum.**

42. Post Credo, (vel Evangelium, si non sit Credo) osculatur in medio Altare: & junctîs manibûs ante pectus vertit se ad populum, & extendit junctas manus, dicens: Dominus vobiscum.

43. **Oremus.**

43. Junctîs manibûs, revertitur per eandem viam, ad medium Altaris, ubi extendens & jungens manus, capútque Cruci inclinans dicit: Oremus.

44. **Ave MARIA &c.**

44. Junctîs manibûs eodem situ dicit Offertorium.

45. Suscipe Sancte Pater, Omnipotens, æterne DEUS, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi DEO meo, vivo, & veró, pro iñumerabilibus pecca-

45. Oculîs ad DEum elevatîs, ac statim demissîs dicitur: Suscipe &c. *si plures Hostiæ sint consecrandæ, intentionem faciat, etiam ad illas offerendas, & consecrandas.*

ca-

catis, & offensionibus, & negligentiis meis, & pro omnibus circumstantibus.

46. Sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis; ut mihi, & illis proficiat ad salutem in vitam æternam, Amen.

46. Quô dictô patenam utraque manu tenens cum ea facit Crucem super corporale, & apponit Hostiam circa medium anterioris partis corporalis; patenam verò ad dextram aliquantulùm subtus corporale, deinde facta competente reverentia, (quæ si Cruci fiat, decet; ut in hoc, & simili casu manibûs junctîs fiat, nisì hæ aliter occupentur) accedens ad cornu Epistolæ accipit Calicem, purificatoriô extergit, & sinistrâ tenens illius nodum (& simul pollice ejusdem manûs Purificatorium, ità accommodatum, ut deflua ejus pars, pedem Calicis, contra casuras fortè ex ampullis guttas, ut nè aspergatur, communiat) accipit ampullam de manu Ministri, & infundit vinum in Calicem.

47. DEUS, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabiliùs reformâſti: da nobis per hujus aquæ, & vini myſterium ejus Divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ fieri dignatus eſt particeps JEſus Chriſtus Filius tuus Dominus noſter. Qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs SanctiDEus: per omnia, &c.

47. Deinde eòdem modô tenens Calicem, producit ſignum Crucis ſuper ampullam aquæ, & dicit: DEus, qui humanæ &c. *& ad verba:* da nobis per hujus aquæ &c. *parùm aquæ infundit, & guttas in Calice, ſi opus ſit, extergit, ac Calicem in cornu Epiſtolæ, versùs medium Altaris ſiſtit, & Purificatorium, quô interim uſus eſt, componit, ut patenam tegat. In Miſſa defunctorum omittit benedictionem aquæ, & tantùm recitat orationem.*

48. Offerimus tibi, Domine, Calicem ſalutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ, pro noſtra, & totius mundi ſalute, cum odore ſvavitatis aſcendat, Amen.

48. Impoſitâ aquâ in Calice, & finita oratione prædictâ reverſus ad mediũ Altaris, factâ reverentiâ ùt priùs, juxta doctrinam hìc p. 2. tit. 5. n. 4. traditam, accipit Calicem, & dextrâ nodum illius infrà cuppam, ſiniſtrâ pedem tenens, elevat, & intentîs ad DEum oculîs dicit: Offerimus, *& in fine dicta hac oratione facit Crucem cum Calice,*

49. &

& in medio corporali post Hostiam collocat, ac pallâ cooperit.

49. In Spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine: & sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodiè, ut placeat tibi Domine DEUS.

49. Deinde junctîs manibûs, super Altare positîs aliquantulùm inclinatus, secretò dicit: In Spiritu.

50. Veni Sanctificator Omnipotens æterne DEUS, & bene†dic hoc Sacrificium tuo Sancto Nomini præparatum.

50. Erectus expandit manus, eásque in altum porrectas junctîs ante pectus (semper jungit manus ante pectus, quando aliquid est benedicturus) elevatîs ad Cœlum oculîs, & statim demissîs, dicit: Veni Sanctificator &c. *Et cùm dicit* Benedic. *facit manu dextrâ signum Crucis, communiter super Hostiam, & Calicem, sinistrâ positâ super Altare.*

51. Lavabo inter innocentes manus meas: & circumdabo Altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem lau-

51. Tum junctîs manibûs ante pectus, & factâ priùs convenienti reverentiâ, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, levat extremi-

laudis : & enarrem universa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domûs tuæ : & locum habitationis gloriæ tuæ.

Nè perdas cum impiis animam meam : & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.

52. Sicut erat in principio, & nunc &c.

mitates pollicis , & indicis, utriusque manûs.

52. Ad Gloria Patri *(quod omittitur in Missis Defunctorum , & in Missis de tempore à Dominica Passionis usque ad Sabbatum sanctum exclusivè) inclinat caput Cruci , & dici eti-*

53. Suscipe Sancta TRINITAS hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis & Ascensionis JESU Christi, Domini nostri: & in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati Joannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: & illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum Dominum, &c.

54. Orate Fratres: ut meum, ac vestrum Sacrificium, acceptabile fiat apud DEUM Patrem Omnipotentem.

Minister. *Suscipiat*, &c.
Sacerdos. Amen.

55.

etiam potest, cùm reditur ad medium Altaris.

53. Lotîs & extensîs manibûs, easdem ante pectus junctas tenens revertitur ad medium Altaris, ubi facta competente reverentia, stans, oculósque ad DEUM elevans, ac statim demittens, manibûs junctîs, super Altare aliquantulùm inclinatus, dicit secretò: Suscipe &c.

54. Finita oratione prædicta, manibûs hinc inde extensîs, & super Altare positîs, osculatur illud in medio: tum junctîs manibûs ante pectus, demissisque oculîs ad terram, à

sini-

ſiniſtra ad dextram vertit ſe ad Populum, & versùs eum extendens, & jungens manus, dicit voce aliquantulùm elata : Orate fratres : *& ſecretò abſolvens perficit circulum,* (nisì proſtet Venerabile) *& revertens junctîs manibûs ante pectus à manu dextra ad medium Altaris ; ubi Miniſter ſuam orationem abſolverit.* ℟. Amen.

55. Tua Domine propitiatione, &c.

55. Dicit ex libro orationes ſecretas, manibûs extensîs, ſubmiſſa voce, ſinè Oremus, *aut alia interpoſitione.*

56. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS.

56. Cùm dicit : Per Dominum, *jungit manus : cùm dicit* JEſum Chriſtum, *caput inclinat, quod fit in prima, & ſi ſint plures, in ultima etiam oratione.*

57. Per omnia ſæcula ſæculorum.

57. Ubi in ultima oratione Secreta pervenerit ad verba : Per omnia ſæcula *excluſivè, depoſitîs ſuper Al-*

58. Do-

Altare manibûs hinc indè extensîs, dicit convenienti & intelligibili voce : Per omnia sæcula, &c.

58. Dominus vobiscum.

58. Deinde subjungit, eôdem modô tenens manus : Dominus vobiscum.

59. Sursum corda.

59. Cùm dicit : Sursum corda *elevat manus hinc indè extensas, usque ad pectus ità, ut palma unius, respiciat palmam alterius manûs.*

60. Gratias agamus Domino

60. Ad Gratias agamus. &c. *jungit manus.*

61. DEO nostro.

61. Ad DEO nostro *etiam oculos elevat, & statim Cruci caput inclinat.*

62. Verè dignum & justum est &c.

62. Elevatîs, & extensîs, ùt priùs, manibûs, prosequitur Præfationem pro tempore convenientem.

63. Sanctus, Sanctus Sanctus Dominus DEus Sabbaoth. Pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ Osanna in excelsis.

63. Dicit *junctîs manibûs ante pectus, & inclinatus (non super Altare manibûs positîs) voce mediocri prosequitur, usque ad Canonem.*

64. Benedictus, qui ve-

64. Erigit se, & signum Cru-

venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Crucis sibi producit à fronte ad pectus.

65. Te igitur Clementissime Pater, per JESUM Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus.

65. Elevat aliquantulùm manus, oculîsque ad DEUM elevatîs, ac statim demissîs, manibûs junctîs, super Altare positîs, profundè inclinatus incipit Canonem, secretò dicens : Te igitur &c.

66. Ac petimus :

66. Post hæc verba osculatur Altare in medio.

67. Utì accepta habeas, & benedicas.

67. Erigit se, jungit manus ante pectus.

68. Hæc † dona, hæc † munera, hæc † Sancta Sacrificia illibata.

68. Dextrâ ter signat super Hostiam & Calicem, communiter, &c.

69. In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum.

69. Extensîs manibûs ante pectus prosequitur.

70. Unà cum famulo tuo Papa nostro N.

70. Exprimit nomen Papæ, & caput inclinat. Sede autem vacante, hæc verba omittuntur.

71. Et Antistite nostro N. & omnibus Ortho-

71. Exprimit nomen Ordinarii, seu Episcopi illius

thodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ Fidei cultoribus.

72. Memento Domine famulorum, famularúmque tuarum.

73. Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suísque omnibus, pro redemptione animarum sua-

lius loci, in quo celebratur. Qui, si vitâ functus est, ea verba omittuntur.

72. *Cùm dicit* Memento (*quæ vox utì & reliqua secretò dicenda est*) *elevans & jungens manus, atque ad faciem, vel pectus, sic paulisper stat in quiete, demisso aliquantùm capite, faciens commemorationem vivorum ad suam voluntatem, vel singulariter rememorans (mente secretò nominans) vel communiter uno contextu ipsorum vivorum commemorationem faciens, pro quibus ante Missam orare proposuit, vide dicta fusiùs p. 2. Instruct. tit. 21. num. 5.*

73. *Finitô* Memento, *demissis & extensis, ùt priùs, manibus, continuat orationem secretò.*

ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ: tibíque reddunt vota ſua æterno DEO, vivo, & vero.

74. Communicantes, & memoriam venerantes, imprimìs glorioſæ ſemper Virginis Mariæ.

74. Silentiô ſtans proſequitur.

75. Genitricis DEI, & Domini noſtri JESU Chriſti.

75. Caput inclinat.

76. Sed & Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum.

76. Caput Cruci inclinat.

77. Petri & Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Mathæi, Lini, Cleti, Clementis, Xyſti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Joannis, & Pauli, Coſmæ, & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum: quorum meritîs, precibûsque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxiliô.

77. Ad nomina Sanctorum, qui hìc & infrà n. 116. recenſentur, cùm pronunciat, caput inclinat, eo die, quô vel eorum facta eſt Commemoratio ſpecialis, vel de iis Miſſa celebratur, etiam per Octavam Gavant. *p. 2. tit. 5. n. 2.*

78. Per eundem Chriſtum &c.

78. Conjungit manus.

79. 7

79. Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus, Domine, ut placatus accipias: diésque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari.

80. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Quam oblationem Tu DEus in omnibus, quæſumus.

81. Bene†dictam, ad ſcri†ptam, ra†tam, rationabilem, acceptabilémque facere digneris.

82. Ut nobis Corpus.

83. Et Sanguis fiat.

84. Dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri.

85. JESU CHRISTI.

86. Qui pridie, quàm pateretur.

79. Expandit manus ſimul ſuper oblata, ità, ut palmæ ſint apertæ, versùs, ac ſuper Calicem, & Hoſtiam, quas ſic tenet, pollice dextro ſuper ſiniſtrum poſito (etiam de ſubtus *Juxta Arnaud.) uſque ad per* Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

80. Jungit manus, proſequitur.

81. Communiter ſignat ter ſuper Hoſtiam, & Calicem.

82. Separatim ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantùm.

83. Et ſemel ſuper Calicem tantùm.

84. Elevans, & jungens manus.

85. Inclinat Caput Cruci.

86. Extergit ſi opus fuerit, pollices, & indices ſuper Corporale.

87. Accepit Panem in sanctas ac venerabiles manus suas.

87. Accipit pollice & indice dextræ Hostiam, & eam cum illis ac indice, & pollice sinistræ manûs tenens, stans erectus.

88. Et elevatîs oculîs in cœlum ad Te DEUM Patrem suum Omnipotentem, Tibi gratias agens.

88. Elevat ad cœlum oculos, & statim demittit.

89. Ben†dixit, fregit, dedítque discipulis suis, dicens:

89. Caput aliquantulùm inclinat.

90. Accipite, & manducate ex hoc omnes.

90. Tenens Hostiam inter pollicem & indicem sinistræ dextrâ producit signum Crucis super ea. Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, discooperit priùs dextrâ vas illud. Cùm finiêrit prædicta verba

91. Hoc est enim Corpus meum.

91. Cubitîs super Altare positîs, stans capite inclinato, tenens Hostiam inter pollices, & indices utriusque manûs, manibûs infernè conjunctîs, reliquîs manuum digitîs extensîs, & simul quoque junctîs distinctè, reverenter, & se-

cretò profert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecrandæ. Prolatîs verbîs genuflexus adorat, & se erigens, elevat cum decenti mora, in altum Hostiam (intentîs in eam oculîs) ut commodè videri à populo, & adorari queat: peracta elevatione, solâ dextrâ deinde repositam Hostiam super Corporale, genuflexus iterum adorat.

Deinceps pollices, & indices non disjungit, nisì quando Hostiam consecratam attingere debet.

92. Similî modô postquam cœnatum est.

92. Discooperit Calicem, in quem, si opus sit, intergit digitos: quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat, & stans erectus dicit: Similî modô.

93. Accipiens & hunc præclarum Calicem, in sanctas, ac venerabiles manus suas, itèm tibi.

93. Ambabûs manibûs accipiens Calicem juxta nodum, infra cuppam, & aliquãtulùm illum elevans, ac statim deponens.

94. Gratias agens.

95. Bene†dixit, deditque discipulis suis didicens: Accipite, & bibite ex eo omnos.

96. Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissioně peccatorum.

97. Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

94. Caput inclinat.

95. Sinistrâ Calicem infrà cuppam tenens, dextrâ signat super eo, & prosequitur: deditque &c.

96. Tenens sinistrâ pedem Calicis parùm elevatum, dexrâ nodum infrà cuppam cubitis super Altare positis, & capite inclinato, profert verba consecrationis attentè, continuatè, & secretò. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale.

97. Dicit secretò: Hæc quotiescunque &c. *& interea genuflexus adorat S. Sanguinem reverenter; tum se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabûs manibûs, ùt priùs, elevat eum & erectum, quantùm commodè potest, ostendit populo adorandum, intentis in eum*

eum oculis : mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, & manu dextra, pallâ cooperit, ac genuflexus Sacramentum adorat.

98. Unde, & memores, Domine, nos servi tui, sed & pleps tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri, tam Beatæ Passionis, nec non & ab inferis Resurrectionis, sed & in cœlos gloriosæ Ascensionis.

98. Extensis manibûs ante pectus, dicit secretò. Unde &c.

99. Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis, ac datis.

99. Jungit manus.

100. Hostiam † puram, Hostiam † Sanctam, Hostiam † immaculatam.

100. Manu sinistra posita super Altare intrà corporale, dextrâ signat ter communiter supra Hostiam & Calicem.

101. Panem † Sanctum vitæ æternæ.

101. Semel super Hostiam tantùm signat.

102. Et Calicem † salutis perpetuæ.

102. Semel super Calicem tantùm.

103. Supra quæ propitiô, ac serenô vultû respicere digneris, & ac-

103. Stans ùt priùs extensîs manibûs prosequitur.

104.

accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel, & Sacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ : & quod tibi obtulit Summus Sacerdos tuus Melchiſedech, Sanctum Sacrificium immaculatam Hoſtiam.

104. Supplices Te rogamus, Omnipotens DEUS : jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum, in conſpectu Divinæ Majeſtatis tuæ : ùt quotquot.

104. Profundè inclinatus, junctîs manibûs : & ſuper Altare poſitis dicit : Supplices &c.

105. Ex hac Altaris participatione.

105. Oſculatur Altare, manibûs hinc indè ſuper corporale poſitîs.

106. Sacroſanctum Filii tui.

106. Jungit manus.

107. Corpus, † &

107. Dextrâ ſignat ſemel ſuper Hoſtiam tantùm.

108. Sanguinem † ſumpſerimus.

108. Semel ſupra Calicem, ſiniſtrâ ſuper corporale poſitâ.

109. Omni benedictione cœleſti.

109. Se ipſum ſignat à fronte ad pectus ſignô Crucis,

110.

110. Et gratiâ repleamur.

111. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

112. Memento etiam Domine famulorum famularúmque tuarum N. & N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.

113. Ipsis Domine, & omnibus, in Christo quiescentibus, locum refri-

cis, sinistrâ positâ infrà pectus.

110. Prosequitur : & gratiâ &c.

111. Jungit manus.

112. Secretò iterum vox Memento, *cum reliquis dicenda, & extensîs, & junctîs manibûs ante pectus, & usque ad faciem elevatîs, & intentîs oculîs ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium defunctorum, de quibus sibi videtur, eôdem modô, capite aliquantulùm inclinato.* (Gerlac.) *ùt dictum est de commemoratione vivorum. Manus autem primùm jungit, post verba* in somno pacis : *post quæ etiam sit pausa, pro memoria Defunctorum habenda.*

113. Commemoratione facta, stans erectus, ùt priùs, extensis manibûs iterum prosequitur : Ipsis.

gerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur.

114. Per eundem &c.

114. Jungit manus, & caput inclinat.

115. Nobis quoque peccatoribus.

115. Vocem aliquantulùm elevat, & dextra manu sibi pectus percutit, sinistrâ positâ super corporale.

116. Famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, & societatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apostolis & Martyribus, cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, & omnibus Sanctis tuis: intrà quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus: largitor admitte.

116. Prosequitur: Famulis &c. *stans manibûs extensîs.*

117. Per Christum Dominum nostrum.

117. Jungit manus ante pectus.

Per quem hæc omnia

Do-

118.

Domine semper bona creas.	
118. Sancti†ficas, vi†ficas, bene†dicis.	*118. Signat communiter super Hostiam, & Calicem.*
119. Et præstas nobis	*119. Discooperit manu dextra Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat, tum se erigit, & reverenter accipit Hostiam pollicem, & indicem dextræ manûs, & cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet, circa nodum infrà cuppam.*
120. Per ip†sum, & cum ip†so, & in ip†so.	*120. Signat ter à labio ad labium intrà Calicem, eum tamen Hostiâ non contingat, dicens;* Per ipsum &c.
121. Est tibi DEO Patri † Omnipotenti, in unitate Spiritûs † Sancti.	*121. Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem, & pectus, incipiens à labio Calicis, & dicit:* Et tibi &c.
122. Omnis honor, & gloria.	*122. Tenens manu dextrâ Hostiam super Calicem, elevat eum aliquantulùm simul cum Hostia dicens:* Omnis honor, &c.

&c. *Et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super corporale, & si opus sit, digitos extergit, ùt suprà. ac pollices, & indices, ùt priùs jungens, Calicem pallâ cooperit, & genuflexus Sacramenta adorat.*

PARS III.

Ab Oratione Dominica usque ad finem.

123. Per omnia sæcula sæculorum.

123. Cooperto Calice, adoratóque Sacramentô, erigit se, & manibûs extensîs hinc indè super Altare intrà corporale positîs, dicit intelligibili voce : Per omnia &c.

124. Oremus : Præceptîs salutaribûs moniti, & Divina institutione formati audemus dicere :

124. Jungit manus, caput Sacramento inclinans, cùm dicit : Oremus.

125. Pater noster, &c. in tentationem. *Minister.* Sed libera nos à malo.

125. Extendit manus, & stans oculîs ad Sacramentum intentîs prosequitur usque ad finem. Cùm

126. Amen.

dicit ; Et nè nos inducas &c. *non jungit manus : sed sinistrâ super corporale positâ, & 126. Dictô* Amen *submissa voce : manu dextra, pollice, & indice, non disjunctîs, patenam aliquantulùm purificatoriô extergens, eam accipit (si tamen facilè tolli non queat, sinistra manus subsidio esse poterit, aliàs non adhibenda) inter indicem & medium digitos : quam tenens super Altare erectam.*

127. Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris : & intercedente Beata & Gloriosa semper Virgine DEI Genitrice MARIA, cum Beatis.

127. Sinistrâ super corporale positâ, dicit secretò : Libera.

128. Apostolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea, & omnibus Sanctis.

128. Elevat manu dextra patenam ab Altari, & seipsum cum ea signare incipit ad ea verba : cum Beatis Apostolis &c. *cùm se signat, manum sinistram ponit infrà pectus : deindè pa-*

patenam ipsam osculatur. v. g. ubi Crux est in margine, nec post osculum rursùs extergit.

129. Da propitius pacem in diebus nostris.

129. Dicens : Da propitius.

130. Ut ope misericordiæ tuæ adjuti, & à peccato simus semper liberi, & ab omni perturbatione securi.

130. Submittit patenam Hostiæ, quam indice sinistræ accomodat super patenam super corporale positam, & ùt communis mos est ; partim pedi Calicis innixam, ùt postea & partes Hostiæ : & patena ipsa, commodiùs accipi possint ; nec fragmenta à tergo patenæ adhæreant, discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat : tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem, & indicem dextræ manûs, & cum illis, ac pollice, & indice sinistræ manûs eam super Calicem tenens.

131. Per eundem Dominum nostrum JEsum Christum Filium tuum.

131. Reverenter frangit per medium à superiori parte incipiens, & dicens : Per eundem &c. *Et medium partem, quam inter pollicem, & indicem dex-*

132. Qui tecum vivit, & regnat.

133. In unitate Spiritûs Sancti DEUS.

134. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

135. Pax † Domini sit † semper vobis†cum.

136. *Minister*. Et cum Spiritu tuo.

137. Hæc commixtio, & consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri

træ manûs tenet, ponit super patenam.

132. Ex parte, quæ in sinistra remansit, frangit particulam inferiùs, dicens : qui tecum, &c.

133. Partem majorem, quam sinistrâ tenet, adjungit mediæ super patenam positæ, interim dicens : in unitate &c.

134. Particulam Hostiæ præcisam, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistrâ per nodum infrà cuppam retinet, intelligibili voce dicit : Per omnia &c.

135. Cum ipsa particula signat ter à labio ad labium intrà Calicem dicens : Pax Domini.

136. Ad Responsum Ministri, particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secretò.

137. Hæc commixtio, &c. *Deinde pollices, & indices super Calicem aliquan-*

ſtri JESU Chriſti, fiat accipientibus nobis in vitam æternam, Amen.

138. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi.

139. Miſerere nobis.

140. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi.

141. Miſerere nobis.

142. Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, da nobis pacem.

quantulùm tergit, & jungit, Calicem pallâ cooperit, & genuflexus Sacramentum adorat, ſurgit.

138. Et ſtans junctîs manibûs ante pectus, capite inclinato (in ordine Miſſæ *inclinatus junctîs manibûs id jubetur facere*) *verſùs Sacramentum dicit intelligibili voce:* AgnusDei.

139. Dextrâ percutiens ſibi pectus, ſiniſtrâ ſuper corporale poſitâ. Quin etiam dextrâ, dum repetitur percuſſio pectoris, non in aëre hæreat ſuper corporale identidem modeſtè reponatur. Quod idem, in ſimili poſtea, ad Domine non ſum dignus, *iterum fiat.*

140. Iterum percutit pectus ſibi.

142. Iterum tertiò percutit. In Miſſis Defunctorum, ommittitur percuſſio pectoris, & manus interim ante pectus junctæ tenentur

tur non imposita Altari. Et locò Miserere nobis, *dicitur* Dona eis requiem: *& tertia vice addit:* Sempiternam. *Tum manus junctas Altari, more solito, imponit.*

143. Domine JESU Christe, qui dixisti Apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: nè respicias peccata mea; sed fidem Ecclesiæ tuæ, eámque secundùm voluntatem tuam pacificare, & condonare digneris. Qui vivis, & regnas DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

143. Manibûs junctis super Altare positîs, oculísque ad Sacramentum intentís, inclinatus dicit secretò: Domine JESU Christe. *Hæc oratio non dicitur in Missis Defunctorum.*

144. Domine JESU Christe, Filii DEI vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificâsti: libera me per hoc Sacrosanctum Corpus, & Sanguinem tuum ab omnibus

144. Si danda sit pax, osculatur hìc Altare, & dat pacem dicens: Pax tecum ℟. *Et cum Spiritu tuo.*

In Missis Defunctorum non datur pax.

Si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, & instrumentum pacis ei por-

bus iniquitatibus meis, & universis malis, & fac me tuis semper inhærere mandatis, & à te nunquam separari permittas: qui cum eodem DEO Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

Perceptio Corporis tui Domine JESU Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentnm mentis, & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis, & regnas cum DEO Patre, in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculoruuı Amen. 145.

146. Panem cœlestem

porrectum à ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est: in cornu Epistolæ genuflexo: & dicit; Pax tecum.

Si non adsit, qui hujusmodi instrumentô pacem recipiat à celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat: nec osculatur Altare, sed dictâ præmissâ Oratione, statim subjungit alias duas hìc præscriptas.

145. Quibûs orationibûs dictîs genuflectens Sacramentum adorat, & se erigens.

146. Secretò dicit: Panem

ftem accipiam, & nomen Domini invocabo.

147. Domine non fum dignus, ut intres fub tectum meum, fed tantùm dic verbô, & fanabitur anima mea. 2. Domine non fum &c. 3. Domine non fum dignus, &c. anima mea. 148.

149.

nem &c. *quô dictô, dextra manu accipit de patena reverenter ambas partes Hostiæ, & collocat inter pollicem, & indicem finistræ manûs, quibus patenam inter eundem indicem, & medium digitos fupponit, & eadem manu finistra tenens partes hujufmodi (ùt, quantùm fieri poteft, circulus Hoftiæ integer appareat) fuper patenam intrà Calicem, & pectus parùm inclinatus; non tamen cubitum finiftrum Altari imponens, fed fufpenfum inter pectus, & Calicem tenens, manu interim nihilominus, nè libera in aëre hæreat, decenter aræ impofitâ.*

147. *Dicit voce aliquantulùm clara tribûs vicibûs:* Domine non fum dignus, &c. *non retrahens pedem reverentiæ causâ, aut genu curvans, dextrâ tribûs vicibûs percutit pectus fuũ.*

148. *Ex finiftrâ accipit ambas partes prædictas Hoftiæ*

stiæ inter pollicem, & indicem dextræ manûs.

149. Corpus Domini nostri JESU Christi, custodiat animam meam in vitam æternam.

149. Et cum illa supra patenam signat seipsum signô Crucis (nodum, à Rubrica, erigere se jussus) ità tamen, ut Hostia non egrediatur patenæ limites, immotè; dicens : Corpus Domini nostri &c.

150. Amen.

150. Se inclinans nunc profundiùs, quàm antea, medii corporis inclinatione, & cubitîs super Altare positîs, reverenter easdem ambas partes sumit, quibûs sumptîs, deponit patenam super corporale, & erigens se, junctîs indicibûs & pollicibûs, ambas quoque manus ante faciem (non indecorè tamen, & ut summitas digitorum os circiter contingat, non nares : ponit Gerlac *) jungit, & aliquantulùm quiescit (non inclinato capite) in meditatione SS. Sacramenti.*

151. Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

151. Deindè depositis manibûs dicit secretò: Quid retribuam &c. *& inte-*

rim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit patenam, inspicit corporale, colligit fragmenta cum patena, si quæ sint in eo, patenam quoque diligenter cum pollice, & indice dextræ manûs super Calicem extergit, & ipsos digitos, nè quid fragmentorum in eis remaneat.

Si verò adsint Hostiæ consecratæ super corporale positæ, pro alio tempore conservandæ, facta priùs genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, & diligenter advertit, nè aliquod fragmentum, quantùmcunque minimum, remeneat super corporale: quòd si fuerit, accuratè reponit in Calicem.

152. Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.

152. Post extensionem patenæ, junctîs pollicibûs, & indicibûs Calicem dextra manu infrà nodum cuppæ accipit, sinistrâ patenam, dicens; Calicem &c.

153. Sanguis Domini no-

153. Signans se signô Cru-

nostri JESU Christi, custodiat animam meam in vitam æternam, Amen.

154. Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

155. Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & Sanguis, quem potavi, adhæreat visceri-

Crucis cum Calice, dicit: Sanguis Domini &c. *& manu sinistra supponens patenam Calicis, stans reverenter, sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita, non inconcinnè reclinando, & gyrando caput. Calicem, post sumptum S. Sanguinem sæpiùs lambere juxta tradita hìc p. 2. tit. 27. n. 1. aut ad colligendas guttas, elatum in sublime, super patenam evertere, indecorum est.* Gerlac. *p. 2. tit. 10. §. 28.*

154. Sumpto S. Sanguine dicit secretò: Quod ore sumpsimus. *Et super Altare (nisi Ministri parva statura aliud exigat) porrigit Calicem, Ministrò in cornu Epistolæ vinum infundente, quô se purificat, supponens iterum patenam Calici.*

155. Deinde vinô, & aquâ, interim dicens: Corpus tuum &c. *(manens in medio Altaris, non acce-*

ribus meis, & præsta: ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura, & Sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum.

cedens ad cornu Epistolæ, juxta Gerlac. *&* Arnaudum. *aut certè in abitu & reditu, faciens competentem reverentiam vel Cruci, vel Sacramento) abluit pollices, & indices super Calicem (non jam super Altare, ex præscripto, porrigendum) quem tamen; facta ablutione, in corporali, non procul à purificatorio (quô mox abstergit digitos) locare, videtur esse decentiùs (Per se autem loquendo non peccat, qui vel solâ aquâ, vel solô vinô digitos abluit.* P. Gobat. *tr. 3. n. 853.) cavendum verò est, ut nè defluentes guttæ, vel ex digitis, vel pede Calicis, si quibûs forte aspersus fuerit, corporale commaculent.* Gerlacus *l. c. 33. Neque etiam pes Calicis, si conspersus sit, purificatoriô, ad solos usus Sacerdos adhibendô, sed aliô linteô tergendus erit.*

Observanda, in Communio-

nione populi, alibi notæ sunt.

156. Amen.

156. Ablutionem sumit, sinistrâ, supponens purificatorium Calici, & extergit os, & Calicem purificatoriô; quô factô, purificatorium extendit super Calicem, & desuper patenam, ac super patenam parvam pallam, & cooperit Calicem velô, ac utrâque manu adhibitâ, sinistrâ ad nodum, dextrâ super Calicem removet eum in sinistrum latus, ut plicari queat corporale: tum dextra manu recipitur bursa, quæ post insertum corporale, ità Calici imponitur, ut ejus apertura antrorsum, non ad latus, respiciat, deinde acceptum denuò circa nodum, sinistra manu Calicem, dextrâ desuper positâ, collocat in medio Altaris, & velum aptat, ut, sicuti in principio Missæ, totus Calix lateat.

157. Ecce Virgo concipiet, &c.

157. Faciat Cruci profundam reverentiam, & à me-

158.

medio ad cornu Epistolæ accedens, stans, manibûs junctîs, legit Communionẽ: Ecce Virgo &c. *quâ lectâ junctîs iterum manibûs ante pectus vadit ad medium Altaris, & eô osculatô, vertit se ad populum à manu sinistra ad dextram.*

158. Dominus vobiscum.

158. Dicit: Dominus &c. *& per eandem viam redit ad librum.*

151. Oremus. Gratiam tuam, &c.

159. Dicit Oremus: *& ùt suprà Orationes eôdem numerô & modô, utì dictæ sunt collectæ.*

160. Sæcula sæculorum.

160. Claudit librum, & jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, eóque osculatô.

161. Dominus vobiscum.

161. Vertit se ùt suprà; & dicit: Dominus vobiscum: *quô dictô stans junjunctîs manibûs versùs populum.*

162. Ite Missa est, Vel.

162. Dicit: si dicendũ est, Ite: *& per eandem viam revertitur ad Altare. Si verò non sit dicendum, revertitur eôdem modô per*

eandem viam ad medium Altaris.

163. Benedicamus Domino.

163. Ubi stans versùs illud junctîs ad pectus manibûs dicit : Benedicamus.

164. Requiescant in pace.

164. In Missis defunctorum eôdem modô stans versùs Altare dicit : Requiescant.

In Quadragesima autem à feria 4. Cinerum usque ad feriam 4. majoris hebdomadæ, in feriali Officio, postquam Celebrans dixit orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus antequam dicat : Dominus vobiscum *stans in eodem loco ante librum dicit :* Oremus : Humiliate capita vestra DEO. *Caput inclinans Cruci, & extensîs manibûs subjungit eadem voce,* Orationem super populum *ibidem positam : quâ finitâ osculatur Altare, & vertens se ad populum dicit :* Dominus vobiscum, *& alia ùt suprà.*

165. Placeat tibi Sancta Trinitas obsequium servitutis meæ, & præsta : ut Sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile, Per Christum Dominum nostrum. 166. Amen.

165. Ante medium Altaris junctis manibus super eo, & capite inclinato dicit secretò : Placeat &c.

166. Osculatur Altare, & elevatis oculis extendens, elevans, & jungens manus : Benedicat.

Benedicat vos omnipotens 167. DEUS.

167. Cruci inclinat caput, & versùs ad populum, semel tantùm benedicens etiam in Missis solemnibus.

168. Prosequitur : Pater & Filius, &c. *vertens se dextrorsum, ad cornu Evangelii, si non prostet Venerabile.*

168. Pater, & Filius, ✝ & Spiritus Sanctus, Amen.

In Missis defunctorum omittitur Benedictio, & dictô Placeat, *osculatur Altare, & statim.*

169. Dominus vobiscum.

169. Accedit ad cornu Evangelii dicens : Dominus &c.

170. Ini-

170. Initium S. Evangelii secundùm Joannem. Inprincipio erat &c.

171. ET VERBUM CARO FACTUM EST. *Minister.* DEO gratias.

170. Signat Altare (sed tantùm, si Venerabile non prostat) vel librum, & se, ùt suprà in Evangelio imo.

171. Genuflectit, & si prostet Venerabile, parùm versùs illud, aliàs versùs cornu Evangelii.

Finitô Evangelio, rediens ad medium Altaris feciat competentem vel Cruci, vel SS. Sacramento ibidem reverentiam, & disposito Calice, eum accipiens infrà infimum gradum Altaris descendit, & vel profundè se Cruci iterum inclinat, aut coram SS. Sarcamento genuflectit, descendensque ab Altari Sacristiam versùs pro gratiarum actione dicit: Hom. Trium puerorum, &c.

Orationes dicendæ, cùm Sacerdos induitur Sacerdotalibûs paramentîs.

Cùm lavat manus, dicat:

DA, Domine virtutem manibus meis: ad abstergendam omnem maculam: ut sinè pollutione mentis, & corporis valeam tibi servire.

Ad amictum, dum ponitur super caput, dicat:

IMpone Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam, cùm eâ induitur.

DEalba me Domine, & munda cor meum: ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiîs perfruar sempiternîs.

Ad

Ad Cingulum, dum ſe cingit.

PRæcinge me, Domine, cingulô puritatis, & extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut in me maneat virtus continentiæ, & caſtitatis.

Ad manipulum, dum imponitur brachio ſiniſtro.

MErear Domine, portare manipulum fletûs, & doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo:

REdde mihi Domine, Stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi Parentis: & quamvìs indignus accedo ad tuum Sacrum Myſterium, merear tamen gaudium ſempiternum.

Ad Caſulam, dum aſſumitur.

DOmine, qui dixiſti: jugum meum ſvave eſt, & onus meum leve: fac, ut iſtud potare ſic valeam, quòd conſequar tuam gratiam, Amen.



MEMORIALE
Brevî facilíque methodô SACERDOTIS BONI MUNUS COMPREHENDENS.

§. 1.
De fine, & Instrumentis Sacerdotis.

FINIS.

DEI honorem quærere,
Ut magis dilatetur. *a.*
Se ipsum non negligere,
Ut anima salvetur. *b.*
Et proximum perficere,
Ut charitas servetur. *c.*

a. Nam de Sacerdote quoque dicit DEUS : *Quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram gentibus, & Regibus, & Filiis Israël.* Act. 9. *b. Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth: 16. *c.* Hinc quippe oritur summa dignitas Sacerdotis, *cum* teste D. Dionysio de Cœl. Hier. c. 3. *Omnium Divinorum Divinissimum sit, cooperari DEO in salutem animarum.*

Instrumenta Sacerdotis.

Sufficiens scientia,
Ad manus adimplendum. *a.*
Major longè prudentia,
Ad rectè procedendum. *b.*
Et summa Sanctimonia. *c.*
Ad fructum faciendum. *d.*

a. Nè

a. Nè audiat illud Oseæ c. 4. *Tu repulisti scientiam & ego repellam te, nè Sacerdotiô fungaris mihi. b.* Juxta illud Christi, Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes, sicut serpentes.* c. Ut impleat illud DEI monitum: *Sancti estote, quia ego Sanctus sum Dominus DEUS vester.* Levit. 19. *d.* Sic enim velut PALMES, conjungitur cum Christo velut VITE, & sperare potest impletum iri, quod idem Christus dixit: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Joann. 15.

§. 2. Observanda erga Superiores Personas.

Erga DEUM.

Fides viva. *a.*
Spes firma. *b.*
Charitas perfecta. *c.*

a. Quâ vivaciter credat DEUM (qui est ipse *Via Veritas, & Vita.* Joann. 14.) non nisi verissima revelantem, omnia bona eminentissimô modô continentem (juxta illud Moysi dictum: *Ego ostendam omne bonum tibi* Exod. 33.) ubique, & in omnibus existentem (*in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Act. 17.) ut studeat ambulare coram DEO, memineritque semper illius dicti Christi: *Quamdiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*: Matth. 25. *b.* Quâ firmiter speret, copiosum gratiæ auxilium, felicem operum successum, & copiosum laborum prœmium. *c.* Agendo, & patiendo, quæ vult DEUS, quomodo vult, & quia vult.

Omne tulit punctum, patitur qui semper, agitque.
Quæ vult, quôve modô vult DEUS & quia vult.

Domine doce me, (semper) *facere voluntatem tuam.* Ps. 42.

Erga Christum.

Charitas tenerrima,
Propter Redemptionem. *a.*
Gratitudo maxima,
Propter vocationem. *b.*

Imi-

Imitatio studiosissima,
Propter perfectionem. c.

a. Hoc enim beneficium, teste S. Bernardo, *amorem nostrum omnino sibi vendicat, devotionem nostram blandiùs allicit: justiùs exigit, arctiùs stringit, & vehementer afficit.* b. Quàm præstabit, si Christum sibi dicentem imaginetur, & exaudiat: *Obsecro vos ego vinctus in Domino* (imò mortuus pro vobis) *ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis.* Eph. 4. *Satagentes, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 2 Petr. 1. c. Ideo enim exemplum dedit nobis, ut, quemadmodum ipse fecit, ità & nos faciamus. Joan. 13.

Erga Beatam Virginem, & Cœlites.

Æstimatio magna, a.
Propter meritorum præstantiam.
Veneratio constans, b.
Propter gloriæ excellentiam.
Fiducia maxima, c.
Propter patrocinii potentiam.

a. *Nimis* enim *honorificati sunt amici tui DEUS.* Ps. 138. b. Ea maximè, quam sequens versus indicat:
Sanctorum est cultus pulcherrimus, optima vita.
c. Quid enim *sub tantis Custodibus* (& Patronis) *timeamus*, aut diffidamus? *Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt.* S. Bern. in Psalm. *Qui habitat.*

Erga Ecclesiam.

Insignis honoratio, a.
Per vitæ sanctitatem.
Filialis subjectio, b.
Per Officii fidelitatem.
Fortis propugnatio, c.
Per doctrinæ potestatem.

a. Juxta illud Tobiæ c. 4. *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ.* b. Conformiter illi monito: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc.

Apoc. 4. c. *Scientes, quoniam in defensionem Evangelii positi sumus.* Philipp. 1.

Erga Episcopos, aliósque Superiores.

Summa reverentia,
Quia DEI Vicarii. a.
Charitas ingenua,
Quia Patres piissimi. b.
Obedientia promptissima,
Quia Pastores optimi. c.

a. Juxta illud Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* b. Nam *in Christo JESU per Evangelium illi nos genuerunt.* 1. Cor. 4. c. Hortante S. Paulo Hebr. 13. *Obedite Praepositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.*

Erga Magnates.

Honoris justi oblatio,
Propter Statûs eminentiam. a.
Favoris conservatio,
Propter virium potentiam. b.
Locutionis cautio,
Propter periculi praesentiam. c.

a. Juxta illud D. Petri 1. c. 2. *DEUM timete, Regem honorificate.* b. Nam, ùt sapienter quidam monuit: ad Magnates, velut ad ignem, nec propinquè nimìs accedendum, nè nimirùm accendamur & elevemur inconstantibûs favoribûs; nec procul nimìs discedendum, nè frigeamus defectu beneficiorum ab ipsis conferendorum. c. Hinc ipse DEUS monuit. Exod. 22. *Principem populi tui non maledices.*

§. 3. Observanda erga Aeqvales.

Erga alios Sacerdotes.

Concordia in affectu,
Propter vinculum Fraternitatis. a.

Reverentia in colloquio,
Propter meritum Dignitatis. *b.*
Promptitudo in obsequio,
Propter titulum Æqualitatis. *c.*

a. Ut sicut olim primorum Christianorum, ità nunc Sacerdotum sit *cor unum, & anima una.* Act.4. *b.* Juxta Eccles. 6. monitum: *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem sapientiam DEI possis audire.* *c.* *Quod enim vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 7.

Erga Benefactores.

Beneficii agnitio,
Per dignam æstimationem. *a.*
Gratiarum actio;
Per crebram prædicationem. *b.*
Vicissitudinis exhibitio,
Per obsequiorum delationem. *c.*

a. Nam *optima beneficiorum custos est, ipsa memoria beneficiorum, & perpetua confessio gratiarum;* juxta S. Chrysost: hom. 25. in Matth. *b.* *Invitat quippè ad magna, qui gratanter suscepit modica; & spem de futuris recepit, qui transacta beneficia recognoscit.* Cassiod. Epist. 4. *c.* *Imitari* enim *agros fertiles* nos *oportet, qui multò plùs reddunt, quàm acceperint.* Senec. in Epist.

Erga Inimicos.

Injuriæ condonatio,
Per Divinam dilectionem. *a.*
Orationis oblatio,
Per ignorantiæ prætensionem. *b.*
Amoris conciliatio,
Per beneficiorum collationem. *c.*

a. Ut impleatur Christi mandatum. Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* *b.* Dicendo cum Christo: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faci-*

unt : Luc. 23. c. Hortante Apoſtolo Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum ; ſi ſitit, potum da illi, hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput ejus.*

Erga Vicinos, alióſque non ſubjectos.

Pacis conſervatio,
Propter coṁunem conſolationem. *a.*
Jurium conſervatio,
Propter juſtitiæ defenſionem. *b.*
Auxilii oblatio,
Propter amoris obligationem. c.

a. Ut monet Apoſtolus Rom. 12. *Quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes : b. Qui* enim *ſequitur juſtitiam, & miſericordiam, invenit vitam, juſtitiam, gratiam.* Prov. 21. c. Nam *quâ menſurâ menſi fueritis, eâdem remetietur vobis.* Luc. 6.

Erga Mulieres.

Rariſſima aſpectio,
Propter caſtimoniæ conſervationem. *a.*
Breviſſima collocutio,
Propter publicam ædificationem. *b.*
Cautiſſima conſervatio,
Propter lapsûs devitationem. c.

a. Memento quoniam malus eſt oculus nequam, Eccl. 31. Et quod, *qui annuit oculo, dabit dolorem.* Prov. 10. *b.* Quia *per levia verba venitur ad peſſima facta,* ùt ſapienter dixit Trithemius. c. Quia *nec Davide ſanctior, nec Samſone fortior, nec Salomone ſapientior es,* S. Hieron.

Erga Pauperes, & Miſeros.

Svavis allocutio,
Ad cauſandam conſolationem, *a.*
Chriſtiana compaſſio,
Ad demonſtrandam dilectionem. *b.*
Amoroſa ſubventio,
Ad faciendam dilectionem. c.

a. Si enim *lingua gratioſa eucharis in bono homine a-*

bundat , juxta Eccl. c. 6. quidni multò magis in Sacerdote ? *b.* Quia teſte S. Gregorio in Moral *plùs eſt, compati ex corde, quàm dare: quia quisquis indigenti perfectè compatitur, minùs æſtimat omne, quod dat; exteriora largiens, quod eſt extra ſe ipſum, dat; qui autem fletum, & compaſſionem proximo tribuit, ei etiam aliquid de ſemetipſò tradit.* c. Sequens S. Tobiæ conſilium c. 4. *Quomodò potueris, ità eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.*

Erga Hoſpites.

Benevola exceptio,
Propter hoſpitalitatem. *a.*
Liberalis tractatio,
Propter charitatem. *b.*
Jucunda converſatio,
Propter hilaritatem. *c.*

a. Juxta illud Apoſtoli Hebr. 13. *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hoſpitalitatem nolite oblivìſci, b.* Ut audire quondam cum ſolatio mereatur: *Hoſpes eram, & collegiſtis me.* Matth. 25. c. Hortante Eccleſiaſtico c. 35. *In omni dato hilarem fac vultum:* hilarem quippè datorem non DEUS tantùm, ſed & homines diligunt.

Erga Defunctos.

Celeberrima recordatio,
Propter gratiæ ſocietatem. *a.*
Tenerrima commiſeratio,
Propter pœnæ acerbitatem. *b.*
Celerrima ſubventio,
Propter auxilii neceſſitatem. *c.*

a. Hinc ad Sacerdotes præcipuè clamant: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltèm vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. *b.* Quia teſte S. Auguſtino in Pſ. 37. ignis ille, etſi non ſit æternus mirô tamen mo-

modô gravis est, suprâque omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita, vel pati potest. c. Si enim, dum cadit asinus, omnes eum sublevare festinant: & dum porcus cadit, omnes alii porci accurrunt, an non, dum clamat inter tormenta Fidelis celeriùs subveniendum erit? S. August. serm. 44. ad FF. in Eremo.

§. 4. Observanda erga inferiores.

Erga Parochianos.

Amor Universalis,
Propter causæ similitudinem. a.
Zelus prudens,
Propter officii amplitudinem. b.
Vita exemplaris. c.
Propter svasionis aptitudinem. d.

a. Juxta illud S. Jacobi c. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU Christi gloriæ.* b. Quia Sacerdos est fidelis ille servus, & prudens, quem Dominus super familiam *suam constituit?* Matth. 24. c. Ut ad imitationem Magistri sui incipiat *facere & docere.* *d.* Quia *illa vox libentiùs Auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia loquendo* imperat, *ostendendo adjuvat, ut fiat.* Ut bene S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 3. dicit.

Erga Domesticos.

Impera disertè negotium,
Propter infirmitatem. a.
Exige mansvetè supplicium,
Propter charitatem. b.
Redde fideliter prœmium,
Propter æquitatem. c.

a. Quia, ùt sapienter quidam dixit: mortalium vires, ùt plurimùm debiles, fervoris, & laboris excessu franguntur: exilium continuatione roboratur. *b.* Nam ùt S. Prosper l. 2. de vit. contemplat. ait: *Le-*

viter castigatus exhibet reverentiam castiganti, asperitate autem, & increpatione nimia offensus, neque increpationem recipit, nec salutem. c. Quia *dignus est operarius mercede sua.* 1. Tit. 5.

§. 5. Observanda erga se ipsum.

Erga suam personam.

Cura Oeconomiæ sobria,
Propter majorem ædificationem. a.
Cura corporis moderata,
Propter faciliorem operationem. b.
Cura animæ præcipua,
Propter potiorem æstimationem. c.

a. Quia ùt rectè Petrus Blesensis ait: *Vacuum à sæcularibus oportet esse animum, Divinæ servitutis obsequio dedicatum. Magnis addictus es, noli minimis occupari; minima, & vilia sunt, quæcunque ad sæculi quæstus, & non lucra pertinent animarum.* b. Unde S. Hieronymus bene monet: *Ex vilissimis etiam cibis vitanda est satietas; nihil enim ità obruit animum, ùt venter plenus, & exæstuans.* c. *Si enim animam negligamus, nec corpus salvare poterimus.* inquit rectè S. Chrysostomus. *Qui ergo ordinem servat, & quod primum est, colit; etiamsi negligat, quod secundum est; per primi salutem, salvabitur, & secundum.*

Erga vocationem.

Magna æstimatio,
Propter dignitatis eminentiam. a.
Perfecta cognitio,
Propter muneris exigentiam. b.
Studiosa executio,
Propter præmii excellentiam. c.

a. Quam clarè sequenti sententiâ Cassiodorus, in Cat. Mundi expressit: *Sacerdos Dei si altitudinem cœli contempleris, altior es: si pulchritudinem solis, & lunæ, pulchrior es: si discretionem Angelorum discretior es: si omnium Dominorum sublimitatem, sublimior es: solo Creatore tuo inferior es.* b. *Si enim*, ùt S. Leo loquitur, *in aliis vix tolerabilis videtur*

Insci-

inscitia, (eorum, quæ ad officium pertinent) *quomodò excusari poterit in eo, qui Magistrum infantium, & Doctorem insipientium profitetur; ignorans utiquè ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari.* c. Nè audiat, quod miles ignavus Alexandri nomen gerens, à Rege Alexandro audire debuit: *Aut Nomen Alexandri depone, aut Alexandro digna gere.*

Erga media.

Studium orationis avidissimum,
 Ad obtinendam gratiam. *a.*
Studium mortificationis continuum,
 Ad purificandam conscientiam. *b.*
Studium humilitatis necessarium,
 Ad cavendam vanam gloriam. *c.*

a. Nam ùt bene S. Augustinus in homil. ait: *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* *b.* *Qui enim Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentiis suis.* Gal. 5. c. Quia *perit omne, quod agitur, si non in humilitate custoditur.* S. Greg.

Erga Officium.

Exacta diligentia,
 Ob muneris dignitatem. *a.*
Reflexa experientia,
 Ob operationis facilitatem. *b.*
Invicta constantia,
 Ob operationis necessitatem. *c.*

a. Juxta monitum Ecclesiastici c. 33. *In omni opere tuo præcellens esto.* *b.* Quia juxta proverbium: *Experientia est optima Magistra rerum.* c. *Quia in cassùm bonum agitur, si ante terminum deseratur.* S. Gregor. l. 1. Moral.

Erga Executionem.

Pura intentio,
 Ad augendum meritum. *a.*
Studiosa operatio,
 Ad implendum officium. *b.*

Generosa resignatio,
Ad tranquillandum animum. c.

a. Juxta consilium S. Pauli 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite:* *b*. Ut dicere possit suô modô cum David 1. Paral. 29. *Totis viribus præparavi impensas domûs DEI mei*, seu actionem hanc, vel illam; *non enim homini præparatur, sed DEO.* c. Quia *si DEUS est causa illius, quod quæris, contentus eris, quomodocunque eveniat.* Thom. Kem.

Erga Incitamenta.

Crede DEI præsentiam,
Quia summus spectator est. *a*.
Spera promissam Gloriam,
Quia summum prœmium est. *b*.
Ama tui victoriam,
Quia summum imperium est. c.

a. Quidni etiam potiore jure dicat Sacerdos, quàm Epicurus; *Hæc ego non multis, sed tibi; satis enim magnum alter alteri theatrum sumus?* *b*. Juxta ipsius DEI testimonium: *Ego ero merces tua magna nimis*. Gen. 15. c. Nam imperare sibi; maximum imperium est, ùt jam olim sapientes pronuntiârunt.

Erga Pericula.

Degusta vinum modicè,
Ob vitandum scandalum. *a*.
Age cum fæminis Angelicè,
Ob cavendum periculum. *b*.
Tracta pecuniam cautè,
Ob fugiendum vitium. *c*.

a. Juxta S. Pauli consilium Timotheo 1. c. 5. datum: *Modicô vinô utere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* *b*. Ità S. Cyprian. de singul. Cleric. dum ait: *Sic agite, ut semper in Clericis Ecclesiæ Senatus candidus constet, severitas in verbis circa fæminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur.* c. Quia *Dæmone* gra-

gravior est pecuniarum cupiditas, teste S. Chrysostomo Homil. 64. in cap. 12. Joan. *quâ multi magìs persvasi sunt, quàm Ethnici ab Idolis, quibus non omnia parent, huic verò omnia, & quodcunque faciendum suggerit, obsequitur.*

Erga Redditus.

Moderata procuratio,
Secundùm necessitatem. *a.*
Studiosa conservatio,
Secundùm æquitatem. *b.*
Recta dispensatio,
Secundùm pietatem. *c.*

a. Ità S. Paulus 1. Tim. 5. *Habentes alimenta, & quibùs tegamur, hìs contenti simus.* *b.* *Quia Patrimonia pauperum, sunt facultates Ecclesiarum.* teste S. Bernardo. *c.* Juxta Luc. 11. *Quis putas est fidelis dispensator, & prudens? & : beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem.*

§. 6. Observanda circa actiones quotidianas.

De Tempore Matutino.

Surge manè velociter,
Svadente æquitate. *a.*
Vestire clericaliter,
Svadente honestate. *b.*
Offer preces hilariter,
Svadente pietate. *c.*

a. Juxta monitum Ecclesiastici cap. 32. *Horâ surgendi nè te frices.* *b.* Ut ipso vestitu ostendat se consilium S. Pauli secutum: *Induimini Dominum nostrum JESUM Christum*, ad Rom. 13. *c.* Ità Salomon Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis frugum tuarum, & abundabunt horrea tua frumentô, & vinô torcularia redundabunt.*

De Meditatione.

Sit præparata optimè,
Ad congruum affectum. *a.*

Sit absoluta integrè,
Ad solidum profectum. *b.*
Sit ordinata practicè,
Ad plurimum effectum. *c.*

a. Juxta illud Ecclesiastici c. 18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat DEUM.* *b.* Ut experiatur, quod David Psalm. 38. dixit: *Concaluit cor meum intrà me, & in meditatione mea exardescet ignis.* *c.* Quia teste Cassiod. super Psalm. 16. *Illius est perfecta oratio, cujus & causa clamat, & lingua, & actus, & vita.*

De Oratione vocali.

Sit humilis, & reverens,
Quoad corporis dispositionem. *a.*
Sit prudens, atque diligens,
Quoad mentis attentionem. *b.*
Sit ardens, atque permanens,
Quoad affectûs intentionem. *c.*

a. Quia humilium & mansvetorum semper DEO placuit deprecatio. Judith. c. 5. *b. Quid enim prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? Neque enim verba deprecantis DEUS attendit, sed orantis cor aspicit.* Isid. de sum. bono l. 3. c. 8. c. Nam *virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perseverantia continui amoris tenet. Veraciter orare est amoris in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.* S. Gregor. in Mor.

De Mensa.

Præmitte Benedicite,
Ut pius agnoscaris. *a.*
Quod sumis, sume modicè.
Ut finem consequaris., *b.*
Persolve grates impigrè,
Ut sæpiùs pascaris. *c.*

a. Quia mensa ab oratione sumens initium, & in orationem desinens nunquam deficiet Juxta S. Chrysost. *b.* Ità Ezech. svadens c. 4. *Cibus tuus, quô vesceris, erit in pondere.* c. Juxta

ta Moysis consilium Devt. 8. datum : *Cùm comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino tuo.*

De Recreatione.

Post mensam curas abjice,
Nè fixa mens gravetur. *a.*
Aptam quietem elige,
Nè corpus enervetur. *b.*
Honesta verba loquere,
Nè spiritus laxetur. c.

a. Nam sicut nimia frangit arcum intensio, ità neglecta animum enervat remissio, ùt habet commune adagium. b. Si enim secundùm corpus, ùt jumentum facti sumus apud Deum, teste S. David Psalm. 72. *Quidni sua quoque jumento huic ad reparandas vires vicissitudo, ac quies concedatur? c. Sicut enim fornax citò calorem perdit, si apertô ostiô frigido aëri concedatur aditus; ità facilè devotionis evanescit spiritus, si ostium lingvæ per dissoluta colloquia laxetur.* S. Bern.

De Conversatione cum Externis.

Sit sancta conversatio,
Ut Clericus puteris. *a.*
Æqualis sit dilectio,
Ut nullum asperneris. *b.*
Sit efficax locutio,
Ut plurimos lucreris. c.

a. Nam quoties loqueris, toties scito, te morum tuorum chirographũ aliis exhibere, juxta illud; loquere, ut videam te. Wido. *b.* Decet enim æqualem esse mensuram affectionis, ubi par est causa dilectionis. c. Quod fiet, *si sermo antè, quàm referatur, librâ justitiæ examinetur, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, & in verbis modus.* S. Ambros. 1. Offic. c. 2.

De Visitatione Ægrorum.

Hos visita velociter,
Pro obligatione. *a.*
Alloquere svaviter,
Pro consolatione. *b.*

Hor-

Hortare efficaciter,
Pro confortatione. *c.*

a. Ad exemplum Christi dicentis: *Veniam, & curabo eum.* Matth. 8. *b.* Qui *dulcis est eloquiô, commendatiorem reddit doctrinam. Favus mellis, verba composita.* Proverbiorum 16. *c.* Ut medicinam, quam corpori ægro afferre non potest, suppleat per animum salubriter confortatum.

De Confessione audienda.

Exacta audientia,
De peccatis admissis. *a.*
Severa reticentia,
De Secretis commissis. *b.*
Discreta pœnitentia,
De delictis remissis. *c.*

a. Quia nescit justitiam observare sententiæ, qui non studuit perfectam habere notitiam causæ. *b.* Juxta illud Ecclesiastici c. 10. *Audîsti verbum adversùm proximum tuum?* (pœnitentis contra se ipsum) *commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet.* c. Hic enim vel maximè implere debet illud Christi: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Tollite jugum meum super vos. Jugum enim meum svave est, & onus meum leve.* Matth 11.

De Concione.

Apposita sit, *a.* & solida, *b.*
Quoad materiæ inventionem,
Excocta bene, *c.* & fervida,
Quoad formæ dispositionem. *d.*
Decore multô prædita,
Quoad ipsam elocutionem. *e.*

a. *Nè dum parvis sublimia, & non profutura prædicat, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.* S. Gregor. *b.* Ut jure usurpare possit illa verba: *Audi fili verba mea, verba svavissima, & omnem Philosophorum, & Sapientûm hujus mundi scientiam excedentia. Verba mea spiritus, & vita sunt.* Thom. Kemp. l. 3. c. 13. c. Alioqui, *qui ascendit sinè labore, descendit sinè honore.* d. Non enim secta-

ri debet *lenocinia Rhetorum*, *sed veritates Piscatorum sermo meus* (debet dicere posse cum S. Paulo 1. Corinth. 2.) *& prædicatio mea non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, *sed in ostensione spiritûs*, *& virtutis*. c. Quia quod patina cibo, hoc elocutio verbo DEI præstat: alterutrum horum fastiditur, si illorum alterutrum sordescat.

De Catechesi.

Hanc magni semper æstima,
Ut par est æstimari. a.
Crebrò tuis deprædica,
Ut par est commendari. b.
Summa cum cura explica,
Ut par est observari. c.

a. *Quia Adolescens juxta viam suam* (à Catechista ostensam) *etiam cùm senuerit*, *non recedet ab ea*. Prov. 22. b. Usurpans illud Christi: *Sinite parvulos venire ad me*, *& nè prohibueritis eos*. Marci 10. c. Nè justè audiat querelam illam: *Parvuli petunt panem*, *& non est*, *qui frangat eis*. Thr. 4.

De Somno.

Somni quietem excipe,
Ut brevì moriturus. a
Arcana mentis discute,
Ut Judicem passurus. b.
DEI favores recole,
Ut plures percepturus. c.

a. Juxta illud Lucæ 12. Hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parâsti, cujus erunt? b. Si nim nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. Cor. 11. c. Nam jugiter sibi subvenire facit, cui collatum beneficium ob oculos semper assistit. Cassiod. super Psalm. Quoniam miseric. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi monstratum est. Exod. 75. Quod non intelligis, dum legis, cognosces in die visitationis. Thom. Kemp. lib. 3. c. 3.


MODUS
Incensationis Altarium.

SAcerdos factâ Cruci profundâ reverentiâ, eam ter incensat, nihil dicens: & factâ iterum Cruci reverentiâ, incensat Altare, ter ducens thuribulum æquali distantiâ, prout distribuuntur candelabra, à medio ejus usque ad Cornu Epistolæ: ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem bis ductô thuribulô, & conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium: ubi factâ Cruci reverentiâ, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad Cornu Evangelii, & pariter incensatâ inferiori & superiori parte ipsius cornu Evangelii, duplici ductu adhuc stans ibidem, elevans thuribulum ter incensat superiorem tabulæ partem versùs medium Altaris, ùt fecit in cornu Epistolæ; deinde manu aliquantùm demissa incensat anteriorem ejus partem, seu frontem, ter ducens thuribulum dum procedit à cornu Evangelii usque ad medium Altaris: & factâ Cruci reverentiâ, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ.

Si verò in Altari fuerint Reliquiæ seu Imagines (id est statuæ) Sanctorum, incensata Cruce, & factâ ei reverentiâ, antequam discedat à medio Altaris, primùm incensat eas, quæ à dextris sunt, id est, à parte Evangelii propè Crucem bis ducens thuribulum, & iterum factâ Cruci reverentiâ, similiter incensat bis alias, quæ sunt à sinistris, hoc est, à parte Epistolæ, deinde prosequitur incensationem Altaris, ùt suprà, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra. Ità Gav. p. 117.

OR-

ORDO
INCENSATIONIS ALTARIS.



Si verò sit expositum Sanctissimum Sacramentum, pro Cruce (quæ adesse non debet) incensatur Sanctissimum Sacramentum à Sacerdote super altiorem Altaris gradum cum Ministris genuflexo. Accedens ad medium Altaris, & recedens à medio vel transiens ante medium semper genuflectit Sacerdos dextrô genû. Idem Gav. p. 186.

Orationes & Ordo Incensationum
In Missa Sòlemni
Ex Missali & Gavant.

C*Elebrans dictô :* Oramus te Domine, *& osculatô Altarî ponit incensum in thuribu-*

lum, ministrante Diacono Naviculam, & Thuriferario thuribulum. Diaconus parùm inclinatus versùs Celebrantem dicit: Benedicite Pater Reverende, *& osculatur cochlear & manũ Celebrantis ante & post; (nihil verò osculatur, si est expositum Sanctissimum Sacramentum) Celebrans ter incensum ponit in thuribulum dicens interim.*

Ab illo Bene✝dicaris, in cujus honore cremaberis, Amen.

POstea Diaconus dat thuribulum Celebranti, osculata priùs catenularum summitate, & manu illius dextra; qui factâ Cruci profundâ reverentiâ: incensat Crucem & Altare, ùt suprà, nihil dicens. Postea Diaconus receptô thuribulô à Celebrante, incenset illum tantùm. Deinde Celebrans dictô Evangeliô, (quod in fine non osculatur) imponit incensum in thuribulum, & benedicit: Ab illo. *ùt suprà: Diaconus verò genuflexus ante Altare manibûs junctîs dicit.*

MUnda cor meum, ac labia mea, omnipotens DEus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculô mundâsti ignitô: ità me tua grata miseratione dignare mundare, ut San-

Sanctum Evangelium tuum dignè valeam nuntiare. Per Christum.

Postea petit Benedictionem à Celebrante dicens: Jube Domne benedicere.

Celebrans respondet.

DOminus sit in corde tuo, & in labiis tuis: ut dignè & competenter annunties Evangelium suum: In Nomine Patris, & Filii, ✠ & Spiritûs Sancti, Amen.

Finitô Evangeliô Subdiaconus defert librum Celebranti, qui osculatur Evangelium, dicens:

Per Evangelica dicta, deleantur nostra delicta. *Et incensatur à Diacono.*

Tandem dictô: Veni Sanctificator. *Celebrans benedicit incensum! dicens:*

PEr Intercessionem beati Michaëlis Archangeli stantis à dextris Altaris incensi, & omnium Electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene✝dicere, & in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

DEinde acceptô thuribulô à Diacono nullam tunc faciens reverentiam Cruci, incensat oblata, ter ducens thuribulum super Calicem & Hostiam simul in modum Crucis, & ter circum Ca-

licem & Hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram (Diaconô interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione hôc modô. In prima incensatione : Incensum istud. *In secunda :* A te benedictum. *In tertia :* Ascendat ad te Domine. *In quarta :* Et descendat super nos. *In quinta & sexta :* Misericordia tua. *Deinde factâ reverentiâ incensat Crucem & Altare, ut suprà dictum est, assistente eôdem Diaconô, interim dicens :*

DIrigatur Domine Oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo : elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit :
Accendat in nobis Dominus ignē sui amoris, & flammam æternæ charitatis, Amen.

Et incensatur à Diacono.

PRA-

PRAXES LITURGICÆ

Quadruplicem

SACRIFICII MISSÆ FRUCTUM

Variis necessitatibus

APPLICANTES.



PRAXES ANTE SACRUM.

Sicut agens naturale, ut producat convenientem sibi effectum, indiget pravîs dispositionibûs, ac debita sui applicatione ad subjectum aptum: nam neque ignis producit formam substantialem, nisì habeat passum debitè dispositum & approximatum; neque arbor nativos fructus gignit, nisì ei terra humorem, sol calorem, cœlum influentias suppeditet. Ità tremendum Missæ Sacrificium, ut fructus proportionatos afferat, requirit in celebrante congruā præparationem, debitámque sui applicationem. Hinc Ecclesia à Spiritu Sancto edocta, varias, quoad hoc formas præscripsit, potissimùm ex Psalmis, & SS. Patribus, Ambrosio, Augustino, Thoma Aquinate, Bonaventura &c. hinc varii modi celebrandi Missam, & post illam gratias agendi, à piis & doctis viris inventi. Porrò, quia hunc fructum quadru-

plicem agnoſcunt Theologi: Latreuticum, quô colitur DEus, ùt ſupremus Dominus vitæ & mortis: Euchariſticum, quô honoratur, ùt ſummus noſter Benefactor: Satisfactorium, quô propitiatur ùt Judex & Vindex reatuum noſtrorum: Impetratorium, quô poſtulatur ùt Largitor bonorum omnium: ideò ſalvîs aliîs, Præparandi ſe, celebrandi, & gratias agendi formîs, hanc etiam exilem Opellam præſens pagina offert, ut eâ Sacerdos adjutus uberiorem indè fructum poſſit referre.

Ante omnia.

Gregorius XIII. Pontifex *conceſſit cuilibet Sacerdoti dicenti ante celebrationem Miſſæ, quæ ſequuntur, 50. annorum Indulgentiam.*

EGo volo celebrare Miſſam, & conficere Corpus & Sanguinem Domini Noſtri JESU Chriſti, juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ, ad laudem Omnipotentis DEI, totiúsque Curiæ triumphantis, ad utilitatem meam totiúsque Curiæ militantis, pro omnibus, qui ſe commendaverunt Orationibus meis in genere & in ſpecie, & pro felici ſtatu S. Romanæ Eccleſiæ, Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & conſolationem S. Spiritûs, perſeverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

SA-

SACRUM
Pro Benefactoribus defunctis.

O Beatissima TRINITAS DEUS meus, ecce oblaturus venio, incruentum veri DEI Hominis JEsu Christi, verè, realiter ac substantialiter in Sacramento Eucharistiæ præsentis Sacrificium. Quod quatenus est.

Latreuticum seu Adoratorium.

OFfero in exhibitionem supremi cultûs Latriæ, & adorationis tibi debitæ, & in recognitionem tui absoluti dominii, quod exercuisti cum animabus omnium quidem hôc annô, semestri, mense, mortuorum; tum præcipuè cum illo defuncto, pro quo, hoc Sacrificium hodiernum offero: cujus nomine, corde & corpore prostratus, profiteor, te esse Dominum meum ac DEum meum, cui me abyssaliter subjicio; téque in Persona Christi, ac totius Ecclesiæ non solùm meo nomine, sed etiam locò omnium damnatorum supplex adoro: quia illi indigni sunt, qui te adorent; eorúmque vicem suppleo gemebundus, ob diminutionem supremi cultûs tui, qui tibi debetur ab illis animabus. Suppleat etiam id quæso, hoc Sacrificium, quô te honorare suprema veneratione, soli tibi DEO meo debitâ intendo, ac defactò honoro. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Domine DEus Exercituum, plena est omnis ter-

ra, gloriâ tuâ. Benedictio & claritas, & honor DEO nostro in sæcula sæculorum: Exaltare super cœlos DEus, & super omnem terram gloria tua: lauderis, glorificeris ab omnibus, ac super omnia, potissimùm hôc meô Sacrificiô. Quatenus est.

Eucharisticum seu gratiarum actorium.

OFfero in gratiarum actionem pro commutatione pœnæ æternæ, in temporalem, omnibus quidem animabus purgatorii facta; præcipuè verò animæ N. si quando graviter peccavit, pro qua sacrifico. Specialiter autem gratias ago, pro auxiliis gratiæ prævenientis, concomitantis, & subsequentis. Pro mediis prædestinationis, hujus animæ N. pro omnibus, quæ fecit, si Sacerdos fuit, Sacrificiis, & pro omnibus, quas aliquando suscepit communionibus; pro dispositionibus ad bonam mortem congruis; pro salutaribus, quos gratiâ tuâ adjutus, in puncto mortis elicuit, actibus; pro finali gratia & perseverantia, in vocatione Religiosa, aut Christiana: tandem pro omni eo, quod huic animæ contulisti in tempore, ac in æternitate es collaturus, ego gratias hôc Sacrificiô. Licèt autem ego, ex omni parte sim indignus, ut in me oculos tuæ pietatis conjicias, istúmque honorem, quem tibi defero, à me acceptes: Principalis tamen meus, cujus personam hìc gerò, omnî titulô dignus est, ut ad illum attendas, meíque propter illum re-

spe-

ſpectum habeas. Reſpice ergò in faciem Chriſti tui, & ſiquidem veſtibûs meritorum ejus indutus coram te compareo, digneris percipere illarum fragrantiam, ac propter ipſam, mihi paternam largiri Benedictionem: & hanc Hoſtiam laudis, in gratiarum vicem, odorémque ſvavitatis benignus admitte. Prout eſt.

Satisfactorium.

APplico totam ſatisfactionem huic Sacrificio, ex opere operato, & ex opere operantis, in Perſona Chriſti & mea, debitam, huic animæ in particulari, pro qua hodie Sacrum faciam. Quodſi hæc anima jam non eſt capax, ob aliquam cauſam; applico huic animæ, cui hìc & nunc maximè applicare teneor, juxta Divinam tuam acceptantem voluntatem, ac meum debitum. Vel applico illi, cui tu vis DEus meus applicari, ſive illi, qui minimùm habet, quod exſolvat: ſive illi, qui paucis aut nullis particulariter juvatur ſuffragiis: ſive illi, cujus ſuffragia detinentur: ſive animæ hominis hodie ſupplicio affecti, ſubmerſi, à prædonibus necati, ſive animæ illius, cujus interitus neſcitur, ſive illius, qui devotionem ad Beatiſſimam Virginem, ad JEſum paſſum & contemptum, ad Sanctiſſimam Trinitatem, ad Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, ad auxilium mortuorum, aliqua ratione promovit; ſive animæ illius, qui nunc in obſequio peſtiferorum moritur: vel illius, qui lin-

guis hominum præter cæteros fuit expositus: vel illius, qui multùm laboravit pro gloria DEI, sinè plausibus hominum: vel animæ illius, cui aliqua ratione sum obligatus: vel illius, qui vivens sæpiùs & ferventiùs pro me orabat. Prout est.

Impetratorium.

OFfero, ut pœnæ istius animæ, vî hujus Sacrificii mitigentur, sentiátque illa refrigerium, & singularem Sancti Angeli sui consolationem. Ut DEUS multorum corda excitet ad eam juvandam, quâ Sacrificiis, quâ operibus satisfactoriis, maximè pœnalibus. Ut DEus, si ei placuerit, indulgeat, hanc animam extraordinariîs modîs juvari, scilicet per apparationem iis, qui eam juvare possint. Eum autem hodierni Sacrificii fructum, cujus hæc anima non est capax, offero & applico illi, aut illis, cui aut quibus, vel respectu animæ hujus, pro qua sacrifico, vel ex quavis alia obligatione, eum applicare teneor. Quodsi eundem nulli prorsùs obligor applicare, applico mihi ipsi, secundùm meam omnem indigentiam, & tuum Domine DEus meus, acceptans beneplacitum. Vel certè applico illi, cui tu DEus meus acceptas, & vis, ut applicem, ad tuam gloriam, ad salutem consolationémque meam, & creaturarum tuarum juvamen.

SA-

SACRUM

Pro quibuscunque viventibus.

O Beatiſſima TRINITAS DEUS meus, ecce oblaturus venio, incruentum veri DEI-Hominis Domini noſtri JESU Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, verè realiter, ac ſubſtantialiter præſentis, Sacrificium; quod quatenus eſt.

Latrevticum ſeu Adoratorium.

OFfero in exhibitionem ſupremi cultûs Latriæ & adorationis, in recognitionem ſupremæ Excellentiæ tuæ, & abſoluti Dominii tui, ac ſubjectionis, ab omni creatura tibi DEO & Domino ſuo debitæ. Quod quidem exequor in Perſona Chriſti ac totius Eccleſiæ, nomine quidem omnium illorum, qui unquam à me id petierunt, & ego promiſi, ſed in particulari, nomine hujus, N. pro quo hoc Sacrificium offero. Igitur ego viliſſima creatura tua, prodiens ex abyſſo vilitatis meæ; fretus tamen pietate ac bonitate tua infinita, audeo comparere coram Majeſtatis tuæ Throno, & proſternens me in centrum nihili mei, recognoſco te DEum ac Dominum meum, primum principium, & ultimum finem meum; téque omni poſſibili affectu venerationis, profundiſſimè colo & adoro. Adoro pronus aſeitatem tuam, quâ à Te es, & quâ Te ſolo tibi ſufficis. Admiror incomprehenſibilem tuam unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, tuáſque Perſonalita-

tes,

tes, origines, relationes, notiones, benedico tuam æternitatem, quâ, priusquam formaretur Orbis terrarum, à sæculo tu es. Laudo tuam immutabilitatem & immortalitatem, quâ idem ipse semper es, & anni tui non deficient. Glorifico tuam Immensitatem, quâ Cœlum terrámque implens, omnia moves, omnia conservas, gubernas disponísque omnia. Magnifico tuam omnipotentiam, cui non est impossibile omne verbum, quâ creas, producísque omnia, quâ cum omnibus, ad omnia concurris. Exalto tuam sapientiam, quâ comprehendis teipsum, & omnia possibilia, præterita, præsentia, & futura, evidenter cognoscis. Superexalto tuam voluntatem, omnésque ejus virtutes, charitatem, misericordiam, justitiam. Deprædico tuam bonitatem, pulchritudinem, Beatitudinem; tuam de rebus omnibus providentiam, prædestinationem electorum, & reprobationem damnatorum. Benedictio, & claritas, & honor DEO nostro, sit per omnia, sed præcipuè per hoc meum Sacrificium. Prout est.

Eucharisticum, seu gratiarum actorium.

AGo gratias Divinæ tuæ Bonitati hôc Sacrificiô, pro omnibus beneficiis, huic homini præstitis, & in particulari pro isto beneficio, prò quo ille nunquam vel rarò tibi gratias egit: aut pro illo, quod primum post hoc Sacrificium accepturus est; maximè autem pro omnibus donis supernatu-

rali-

ralibus, ei à tua manu collatis. Quamvìs enim omnia membra mea verterentur in tot ora, quot ſunt pulveres in terra, quamvìs omnia oſſa mea tranſirent in tot linguas, quot ſunt guttæ in mari; quamvìs omnes nervi mei, fierent tot voces, quot ſunt atomi in ſphæra aëris aut cœli; tamen adhuc impotens eſſem, ad ſolvendas tibi congruas gratias, pro uno minimo beneficio, ex iis, quæ unquam, illi pro quo ſacrifico, aut mihi contuliſti: quantò magìs ero impar ad dandas tibi condignas laudes, pro tota beneficiorum, naturalium & ſupernaturalium ſerie, nobis aliquando præſtita. Quid igitur retribuam Domino, pro omnibus, quæ nobis retribuit? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Sacrificabo illi Hoſtiam laudis, ut illum honorem de ſubſtantia Corporis & Sanguinis Chriſti mei. Vota mea reddam in conſpectu omnis populi ejus. Benedic ergo anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me ſunt, Nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivìſci omnes retributiones ejus. Prout eſt.

Satisfactorium.

EX opere operato & opere operantis in Perſona Chriſti, applico illi eandē ſatisfactionem, huic Sacrificio correſpondentem, ſi illius eſt capax: alioquin applico illi, cui reſpectu aliquo iſtius, pro quo ſacrifico, applicare teneor: quod ſi nulli teneor; applico mihi vel illi, cui applicari vis, & pro

pro quo tu acceptas, DEus meus. Quamvìs autem displiceat tibi abominanda Ministri offerentis fæditas & vilitas; ejus tamen Domini & Principis, cujus personam gero, arrideat infinita pulchritudo & dignitas. Nihil quidem dignum in conspectu tuo ego egi; sed illius, cujus licèt indignus Minister sum; excellentiam attendens, miserere mei. Quamvìs nullum proprium habeam meritum, quô tibi satisfaciam: fero tamen in manibus thesaurum, supremìs mihi tabulìs à Christo meo legatum, ex quo tibi debita mea plenè exsolvam. O thesaurum! ô gemmam! ô margaritam inæstimabilem, Corpus & Sanguinem Domini nostri JEsu Christi: cujus tu pretium in statera misericordiæ tuæ erga me pondera, & propter immensum ejus pretium, me æstima, ac innumeros meos reatus condona. Prout est.

Impetratorium.

OFfero istud Sacrificium, ad impetrationem, ejus rei, primùm quidem spiritualis, deinde temporalis, quâ is potissimùm, juxta tuum beneplacitum eget, & ad impetrationem eorum omnium, quæ ille impetrare vult, aut vellet, si illi in mentem veniret, juxta tuum Domine DEus meus beneplacitum: Quæ tu illi Domine DEUS meus, respectu hujus Sacrificii, confer ad gloriam tuam, & salutem ejusdem. Offero littereà ad impetrationem omnium eorum beneficiorum, quibus tu Domine DEus meus, vides & scis indigere

gere hominē iſtum, pro quo ſacrifico, & quodcunque ego illi ex vi præſentis Sacrificii, petere à tua Divina Bonitate teneor, ut illi omnia, per hoc Sacrificium, juxta tuum beneplacitum confeтас. Accepta igitur, ô Sanctiſſima Trinitas, hoc Sacrificium, in honorem & gloriam tuam, & omnes fructus, ejuſdem Sacrificii, illi aut illis, pro quo aut quibus offero, liberaliſſimè largire, quoſcunque ego illi, aut illis ex vi hujus Sacrificii applicare teneor.

SACRUM

Pro me ipſo.

O Beatiſſima TRINITAS DEUS meus, ecce oblaturus venio incruentum, veri DEI Hominis, verè, realiter, ſubſtantialitérque in Sacramento Euchariſtiæ præſentis, Sacrificium. Quod quatenus eſt.

Latreuticum, ſeu Adoratorium.

OFfero in exhibitionem ſupremi cultûs Latriæ, & adorationis tibi à me creatura tua debitæ, necnon in recognitionem tui abſoluti ſuper omnia creata Dominii; meæque naturalis, ac mihi eſſentialis ſubjectionis. Cupio mi DEus cupio, eô ſubjectionis modô, me tibi ſubjicere, quô tu tibi creaturā ſubjici vis, ac ſubjicere potes. Proinde nullis voluntatis tuæ Divinæ de me decretis obſtantibus, decerne de me nunc, quidquid tibi placet in tempore

pore ac æternitate : quod hôc Sanctissimô Sacrificiô testari volo; téque DEum meum in Persona Christi ac totius Ecclesiæ, supplex adoro. Exhibeo prætereà profundissimam venerationem & reverentiam Verbo incarnato. Sacramentalíque Christi præsentiæ ac dignitati; desiderans ex tota affectûs intensione, supplere simul omnes eorum negligentias, qui se totos Cultui Latrico, abyssalíque venerationi DEI in Carne & in Sanctissimo EucharistiæSacramento explicitè nõ impenderunt. Ecce ego nunc ex zelo honoris DEI Hominis JESU Christi, offero totius Universitatis Prædestinatorum, Glorificatorum, & Glorificandorum omnem actum Latreuticorum collectionem; quâ suppleri cupio meos, & alienos hac in parte defectus ac insufficientias. Quatenus est.

Eucharisticum, seu gratiarum Actorium.

OFfero imprimìs in gratiarum actionem, pro omnibus beneficiis, gratiis, favoribúsque Sanctissimæ JEsu Christi Humanitati collatis, pro omnibus thesauris sapientiæ, & scientiæ tuæ, in Domino nostro JEsu Christo depositis : quæ omnia dona à te illi communicata, tu meliùs vides, quæ ad illam admirabilem naturæ humanæChristi, cum Persona Divina Verbi Unionem, sunt consecuta. Offero etiam in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, gratiis, favoribus, privilegiísque Immaculatæ semperVirgini Parentíque gloriosissimæ, à te DEO & Domino nostro liberalissimè collatis. Offe-

Offero in gratiarum actionem pro tua æterna electione illius, in Matrem unigeniti Filii tui: pro Immaculata ejusdem Conceptione: pro illa cujuscunque maculæ actualis, vel habitualis singulari immunitate: pro illa Sanctitate & perfectione; pro illa clementia, pietate & misericordia, quâ illam replevisti, ut esset nostra apud te Advocata, & Patrona: pro illa dilatatione & augmẽto cultûs illius, per universum orbem Christianum: pro affectu pio, quô erga illam omnes omnium ætatum homines, & hominum ætates afficiuntur. Offero eô modô, intensione, & extensione ac intentione, sicut tibi placet, & sicut tu gratias tibi referri cupis.

Offero etiam DEus meus in gratiarum actionem pro omnibus gratiis & donis, Sanctis tuis omnibus, tecum in Cœlo regnantibus vel regnaturis à te DEO & Domino nostro concessis; præcipuè pro concessis Sancto Michaëli, beatorum Spirituum Principi, Sancto Angelo meo Tutelari, Sanctis Patronis meis Tutelaribus, menstruis, horariis &c.

Offero præterea hoc Sacrificium, & omne aliud tibi à me offerendum, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi indigno, à tua infinita bonitate liberalissimè concessis.

Offero pro illa tua erga me plùs quàm paterna cura, quam mei ex utero matris meæ, & in utero habuisti, quâ me natum in mundum suscepisti, & in gremio bonitatis tuæ Divinæ deposuisti, depositum custodîsti, & uberibûs infinitæ tuæ Sapien-

tiæ, ac Omnipotentiæ nutrivisti, lactéque tuo proprio plùs quàm filium Mater amantissimè lactâsti, & mirabiliter viîs tibi soli cognitîs, à multis malis, & periculis, mortibúsque eripuisti. Offero pro illa immensa tua pietate, & dilectione, quâ me in gremio tuo protervum, contumacem, rebellem, sordidum, fœtidum, peccatis innumeris immersum, & cane mortuo sordidiorem, patientissimè sustinuisti; quamvìs toties, O infinita DEI mei bonitas, conatu proprio, de ulnis tuis in cenum vitiorum me præcipitarem; ex quo tamen me misericors & omnipotens manus tua toties extraxit, toties Sanguine pretioso Redemptoris mei lavit, ac tandem ùt confido, ad statum gratiæ,& specialis amicitiæ tuæ, clementissimè reduxit. Quis O Domine DEus enumerare potest gratias, favores, beneficia, media, quæ ad me conservandum, & hucusque perducendum,tua infinita bonitas adhibuit? Quis naturæ bona,quis gratias supernaturales,visitationes, illustrationes, inspirationes,motionésque tuas continuas investigare? Quis illam tuam protectionem & Maternam pietatem potest explicare? quâ me, momentîs singulîs complexus es,& complecteris Domine DEus. Tu solus scis, qui cognovisti me antequàm essem; dilexisti, quamvìs rebellis tibi, & contemptor tuarum gratiarum existerem, tua dona & beneficia nihili æstimarem, iísque abuterer in contemptum tuum.

Laudet te pro his omnibus, & exaltet Domine DEUS meus infinita Bonitas tua, quæ omnem meam

am vicit & consumpsit malitiam. Laudet te infinita Sapientia, quæ meam sustinuit insipientiam & stultitiam extremam; & ex tenebris ignorantiæ eductum, in hoc admirabile gratiæ tuæ lumen induxit. Laudet te Omnipotentia tua, quam continua, grandia, enormia peccata mea expugnare non potuerunt. Laudo te & ego Domine DEUS meus, & quantùm possum, misericordias tuas decanto. Laudo te & exalto Pater clementissime, gratiásque tibi pro iis peculiariter beneficiis ago, quæ me ad cognitionem tui, & amorem allicere possunt, quæ me à periculis & occasionibus peccatorum liberant. Laudo pro illo singulari favore, quô ad bonum meum & salutem, gloriosissimam Virginem MARIAM, in Matrem Unigeniti filii tui elegisti, & mihi Advocatam constituisti, quæ me à pœna æterna multísque malis, patrociniô suô protegere dignata est; quæ mihi gratias singulares apud te impetravit, per quam tu mihi omnia ad salutem necessaria dares, & per quam me facillimè in meis necessitatibus exaudires.

Offero insuper in plenissimam gratiarum actionem pro omnibus prorsùs beneficiis, toti creaturarum cumulo, tam in ordine naturali, quàm supernaturali, per specialem, vel generalem, individualémque tuum concursum, per influxum Sanctissimæ Humanitatis JESU Christi præstitis, ac tota æternitate præstandis. Specialiter autem depono in Cor Domini nostri JESU Christi hæc omnia beneficia, ut ibi tanquam in suo fonte ac centro mane-

ant : ego enim minor ſum omnî minimô beneficiô DEI, nec idoneus ad aliud quidquam, nisì ad deſtructionem beneficii cujuſcunque Divini. Igitur in hoc Sacrificio, gratias tibi univerſaliter ago pro beneficio Creationis, Redemptionis, Sanctificationis, Conſervationis, & quæ hiſce ſunt adnexa, mihíque collata.

Gratias ago tibi pro dignitate Sacerdotii, quâ me de pulvere erectum adornâſti : idémque facio pro uſu ejuſdem Sacerdotii, in adminiſtrationeSacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, pro omnibus abſolutionibus Sacramentalibus, à me datis & acceptis, pro omnibus Sacrificiis & Communionibus. O ſtupenda, ſuper deſpicabilem catellum, qui toties pane filiorum tuorum ſum paſtus & ſaginatus, dignatio! Gratias ago pro hac conſolationum & deſolationum, proſperitatum & adverſitatum, elevationum, & depreſſionum viciſſitudine, quâ vitam meam texuiſti. Gratias ago pro ſerie omnium mediorum prædeſtinationis meæ, & gratiarum omnium actualium, tam in intellectu, quàm in voluntate cæteríſque facultatibus, receptarum. Ago gratias pro omnibus & ſingulis illuminationibus, myſteriorum Fidei vivacioribus apprehenſionibus, convictionibus; intellectualibus, voluntatis ad bonum permotionibus, piíſque deſideriis. Inſuper pro omnibus Beneficiis, quæ ex momento conceptionis meæ, uſque ad hanc horam, de tua bonitate ſuſcepi, & quæ hôc momentô à te ſuſcipio, & quæ uſque ad

finem

finem vitæ meæ, & per totam æternitatem sum acceptururus ex thesauro immensæ tuæ liberalitatis. Prout est.

Satisfactorium.

APplico mihi satisfactionem, huic Sacrificio correspondentem, si capax sum: sin minùs, applico illi, cui maximè subvenire ex aliqua obligatione teneor, juxta tuum Sanctissimum beneplacitum. Non attendas hìc rogo ad me, vel ad mea merita, quia servus inutilis, & perduellis ego sum, toties mandata tua transgressus; ideóque omnî veniâ indignus, imò plagîs vapulare multîs dignus: sed respice, quæso, in faciem Christi tui, cujus hìc Personam sustineo ac repræsento, & quem tibi pro peccatis non solùm meis, sed etiam alienis, tanquam Agnum innocentem tollentem peccata mundi, venerabundus immolo: rogans humillimè, ut Sanguis ejus pretiosus, in hoc incruento Sacrificio mysticè effundendus, culpas nostras abluat, pœnásque eis debitas aboleat, & misericordissimè extingvat. Prout verò est.

Impetratorium.

OFfero hoc Sacrificium pro impetranda remissione omnium peccatorum; pro remotione omnium salutis æternæ impedimentorum; pro remotione occasionum peccandi, tam proximarum, quàm remotarum, internarum & externarum; pro impetranda gratia ità vivendi, ut possim

esse absque omni culpa, & absque obligatione ullius pœnæ temporalis, in hac vel altera vita exsolvendæ. Pro impetranda puritate corporis, & animæ tanta, ut ab omnibus actibus inordinatis, immeritoriis, tepidè factis, purificatum me, purissimus ille tuus intueatur oculus pro efficaci gratia, ad universas virtutes idque continuò exequendas. Pro promptitudine respondendi Divinis inspirationibus: pro singulari discernendorum in me & in aliis spirituum dono. Pro impetrandis congruis auxiliis, Spiritúsque Sancti donis, ad Sacramentum Pœnitentiæ, prudenter, patienter, assiduè, libenter, fructuosè, humiliter ministrandum, & ad Eucharistiæ Sacramentum, Missæque Sacrificium, ritè obeundum; pro habendis, cognoscendis, percipiendis, investigandis variis occasionibus benè merendi de animarum salute: útque dirigantur ad me animæ, quàm maximè egentes, & auxiliô spirituali destitutæ, ut ego possim efficaciter eas juvare; utque mea peccata ad hoc, impedimentum non faciant. Pro impetrando dono, opportunè ad eorum indigentiam colloquendi, concionandi, conversandi. Pro gratia habendi integrum usum rationis & sensuum in hora mortis, ut in illa extrema vitæ periodo, super omnia cupiam te amare; & ex eodem motivo intensissimè dolendo de peccatis in manus JEsu Christi spiritum meum tradam.

Tandem offero ad impetrationem eorum omnium, quæ Bonitas Divina concedere mihi disposuit

ità,

ità, prout illa vult, & quia vult, & quando vult, & quantùm vult; cum quibus circumstantiis, gradibus, conditionibúsq; vult. Ad extremùm offero, pro iis omnibus gratiis, quascunque tempore Sacrificii, sancti & perfecti Viri petere à te DEO bonorum omnium Authore consveverunt. Fiat DEUS meus, fiat.

Brevior applicatio fructuum Sacrificii ex opere operato.

SAnctissima TRINITAS DEUS meus, venio oblaturus Sacrificium veri DEI & Hominis, verè realiter, substantialitérque in Sacramento Eucharistiæ præsentis: illúdque ex opere operato offero in exhibitionem supremi cultûs, & adorationis Tibi debitæ, in recognitionem Tuæ excellentiæ, & absoluti super omnia creata Dominii. Protestor per hoc Sacrificiũ, Te esse Authorem vitæ & necis, dignúmque, cujus honori omnis creatura totam se impendat, consumat, & annihiletur. Facio autem hoc in Persona Christi ac totius Ecclesiæ, nomine quidem omnium creaturarum, quas mihi nunc impersono; præsertim verò nomine ejus N. pro quo sum sacrificaturus.

2. Offero in plenissimam gratiarum actionem pro omnibus beneficiis toti creaturarum universitati à te collatis, præsertim Sanctissimæ JEsu Christi Humanitati, gloriosissimæ DEI Parenti, omnibúsque Electis tuis. Specialiter autem offero, gratias agendo pro beneficiis, illi N. pro quo

 sum

ſum ſacrificaturus, collatis. Oppono digniſſimum Euchariſticon his omnibus ingratitudinibus, quas ſuſtines à me, & aliis, tibi negligenter ſervientibus, peccantibus, damnatis.

3. Offero in ſatisfactionem pro pœnis, tam in hac, quàm in altera vita, debitis mihi, & illis omnibus, quibus miſericordiſſimè condonâſti culpam, & juſtiſſimè reſervâſti pœnam. Præſertim autem pro pœnis debitis illi N. pro quo ſum ſacrificaturus. Offero autem in propitiationem tui, & in ſatisfactionem ſub eadem latitudine, ad quam tu DEUS meus, acceptatione tua, Sacrificium hoc infinitè dignum limitas.

4. Offero ad impetrationem omnium earum gratiarum, donorum, & beneficiorum temporalium, & æternorum, quorum capax eſt ille N. pro quo ſacrificaturus ſum. Quorum autem non eſt capax, & per hoc Sacrificium ſunt conferibilia; applico fructum hunc mihi, vel meis, vel quibus debitor ſum, ad purum guſtum ac beneplacitum tuum.

5. Offero Sacrificium hoc, omnî eô modô, quô eſt offeribile, & quô illud offerri vis. Volo per illud, dante te, conſequi omne id, cujus illud, ſub omni ſua ratione, conſideratione, æſtimabilitate & energia eſt collativum, & quô dignum eſt, Túque per illud conferre decreviſti.

Ad evitandam in Sacro celebrando moroſam prolixitatem, expedit, ut ante illud præmittas utrumque Memen-

mento, vivorum & mortuorum: dum verò tempus illius in actu sacrificandi appetit, breviter illud mente revoca & ratum habe.

Memento Vivorum.

DOmine JESU Christe pro nobis crucifixe, ad te perennem omnium bonorum fontem accedens, & sacratissima tua vulnera, in persona Ecclesiæ tuæ, meáque indigni Sacerdotis, adorans humillimè.

Depono cum omni reverentia in sanctissimo manûs tuæ dextræ Vulnere, totum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ statum cum omnibus in particulariEcclesiis, earúmque necessitatibus. Depono Papam N. omnes Episcopos, Canonicos, Parochos, Clericos, petens per hoc sacratissimum Vulnus, ejúsque pretiosissimum Sanguinem, dones eis gratiam, perfectissimè juxtà suum statum vivendi, ac evitandi peccata, præsertim scandalizantia; dones zelum gloriæ tuæ, Fidei, & animarum, vitam denique dones exemplarem.

Depono insuper venerabundus in sacratissimo manûs tuæ sinistræ Vulnere, totum statum sæcularem, cum omnibus periculis & necessitatibus suis. Depono Imperium Romanum cum ejus Imperatore N. omnia Regna Catholica, præcipuè Poloniam nostram, cum ejus Rege N. Duces Exercitûs, ipsúmque Exercitum, Senatores, Regni, Regalísque Curiæ Officiales, Administros, Nobiles, totúmque Regni hujus populum; petens

per hoc ſacratiſſimum Vulnus, ejúsque pretioſiſſimum Sanguinem, ut eis conferas gratias, ad ſalutem animæ & corporis neceſſarias; ut eos ab omnibus periculis eruas, eorúmque neceſſitatibus tam corporalibus, quàm ſpiritualibus in tempore opportuno ſubvenias.

Depono in ſacratiſſimo Pedis tui dextri Vulnere, omnes Ordines Religioſos, cum omnibus in particulari eorum domiciliis, ac neceſſitatibus, cum omnibus illorum moderatoribus, eorúmque ſubditis. Petens per hoc ſacratiſſimum Vulnus, ejúsque pretioſiſſimum Sanguinem, ut eis dones conſtans ac fervens tibi placendi, tuámque gloriam promovendi ſtudium, zelum animarum, contemptum ſui, ſpecialem mortificationis, Crucíſque tuæ amorem.

Depono in ſacratiſſimo Pedis tui ſiniſtri Vulnere omnes in peccato mortali exiſtentes, ut reſipiſcant. Depono omnes Hæreticos, Schiſmaticos, Ethnicos, Gentiles, omnéſque Infideles, ut vera Fide illuminentur. Depono exiſtentes in proxima occaſione peccandi, nè labantur; agonizantes, ut finaliter in gratia ſanctificante perſeverent: tentatos ut vincant, ægros ut ſanentur; captivos & incarceratos, ut eliberentur; quôvis modô afflictos ut patienter ferant, & conſolationem accipiant; innocentes, nè corrumpantur.

Depono tandem in ſacratiſſimo Lateris tui Vulnere, me miſerrimum peccatorem: mecum verò

verò omnes Consanguineos, Amicos, & Benefactores, petens omnibus per hoc sacratissimum Vulnus, ejúsque pretiosissimum Sanguinem, donum finalis in tua gratia perseverantiæ; donum multa bona agendi, & multa innocenter ex tui amore patiendi, gratiam quàm perfectissimè juxta vocationem vivendi, ac tandem sanctè moriendi. Depono omnes inimicos meos, in particulari NN. ama illos Domine JESU toto corde, juxtà sanctissimam voluntatem, bonitatem dignitatémque tuam.

Memento Defunctorum.

MEmento Domine (præter eos pro quibus hoc Sacrificium applicavi) Parentum meorum mortuorum, ac specialium Benefactorum NN. Insuper eorum, qui paucis aut nullis suffragiis singulariter juvantur, & qui minimùm satispati jam habent: dona his omnibus requiem æternam, per Sanguinem tuum pretiosissimum, quem effudisti in circumcisione, in horto, in flagellatione, in spinea coronatione, in fixura manuum, pedum, ac Sacratissimi lateris tui. Peto id à Te, per oculos Tuos lachrymîs & Sanguine offusos, per aures blasphemiîs & opprobriîs saturatas, per nares fœtoribûs carceris nocturni afflictas, per os felle & acetô potatum. Omnia autem hæc fiant juxta Tuum sanctissimum beneplacitum, propter majorem Tuam gloriam, bonitatem, dignitatem, ut horum enumeratorum animæ eliberatæ, libertatémque Filiorum DEI adeptæ, ac ad visionem

nem Tui beatificam admissæ, Te in æternum laudent, benedicant, ament, glorificent.

PRAXIS
Celebrandi Missam.

CUm Sacrificium Missæ à Christo Domino sit institutum, potissimùm in memoriam suæ Passionis, adeoque sit vera repræsentatio illius cruenti Sacrificii, quod Christus in ara Crucis, immolatione sui Divini Corporis, & sacri Sanguinis effusione, Patri æterno obtulit, consum̃avítque; hinc optimus, & gratiæ acquirendæ plenus celebrandi Missam modus est, mystica hujus Sacrificii actione, articulos Passionis Dominicæ applicatâ, opus Redemptionis nostræ, pro mentis affectu recolere.

Nam etsi ipse Christus hìc sit Principalis offerens, & oblatio: tamen etiam Sacerdos gerit Personam Christi; & habitus, seu vestimenta ejus, totáque Missæ actio, habet cum Christi Passione similitudinem.

Porrò affectus istos, qui hìc inseruntur inter celebrandum Missam, non est opus voce proferre, nè ritus celebrandi varietur; sed mente duntaxat, & corde sunt usurpandi: quod brevissimè fieri potest, si præmeditatio præcedat, & habitus per actus frequentatos acquiratur, non simul, sed per partes; nunc in una Sacrificii Missæ parte sese exercendo, nunc in altera; prout Spiritus Sanctus dictabit.

Esset quidem optandum, ut in singulis Missæ actionibus, dum aliquod Passionis Christi mysterium recolitur,

tur, ille quadruplex fructus, Latrevticus, Eucharisticus, Satisfactorius, Impetratorius, expreſsè applicetur tum Celebranti, tum ei, pro quo Sacrificium offertur, v. g. dum Sacerdos manus lavat, & recolit illam Chriſti humilitatem, ex qua manibûs propriîs lavit pedes Diſcipulorum, eósque linteô abſterſit, ut mente dicat: JESU ad pedes Diſcipulorum proſtrate, eósque propriîs manibûs lavans, & linteô abſtergens, Te ego affectu omnium Angelorum & Sanctorum tuorum adoro, laudo, benedico, glorifico; Tibi gratias ago; hanc tuam humiliationem Patri æterno, in ſatisfactionem peccatorum meorum offero; eorúmque veniam, & gratiam ad emendandum ſupplex poſtulo. *Et ſic de aliis actionibus infrà recenſendis. Si tamen hoc expreſsè ob moroſam prolixitatem, non poſſet fieri; ſaltèm in Introitu, Elevatione, & Comunione hoc fiat; vel ſaltèm poſt quamvis Miſſæ actionem, & particulam Paſſionis Chriſti recenſitam, mente dicas:* Miſerere mei, & N. cui Sacrum applico. *Porrò commodum tempus hos actus, intùs eliciendi eſt, cùm nominamus hanc vocem;* Domine: *tunc enim tantillùm ſubſiſtendum, & mente agendum, quod exterior actio poſtulat.*

ORDO MISSÆ.

L*Otio manuum.* JESU ad pedes Diſcipulorum procumbens, eósque manibûs propriîs lavans, & linteô abſtergens. Miſerere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Impo-

Impositio Hostiæ. JESU in ultima cæna SS. Eucharistiam instituens, eámque Discipulis porrigens. Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Humerale. JESU in oculis velate, spinîs coronate, & arundine in capite percusse. Miserere mei & N. &c.

Alba. JESU apud Herodem veste alba indute, sprete, ac illuse. Miserere mei & N. &c.

Cingulus. JESU catenâ & funibûs præcincte. Miserere mei & N. &c.

Manipulus. JESU in manibus tanquam latro ligate. Miserere mei & N. &c.

Stola. JESU in collo fune circumdate, & Crucis pondere onerate. Miserere mei & N. &c.

Casula. JESU purpureô vestimentô indute, & in Crucem acte. Miserere mei & N. &c.

Vel si placet vitam Christi actam, ante Passionem recolere, induendo vestimenta dic. Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Lotio manuum. JESU à SS. Patribus antiquis, multîs lachrymîs expetite, & bonîs eorum operibûs, ac meritîs de congruo impetrate. Miserere mei & N. &c.

Impositio Hostiæ. JESU per Hostias veteris testamenti præfigurate & invocate. Miserere &c.

Humerale. JESU Sanctissimæ Virgini Mariæ ab Angelo Gabriele annuntiate. Miserere mei & N. &c.

Alba. JESU carne humana per unionem hypostaticam indute. Miserere mei & N. &c.

Cingulus. JESU à SS. Matre in Tua Nativitate fasciîs ligate, & per infantiam pueritiámque enutrite. Miserere mei & N. &c.

Manipulus. JESU laboribûs à juventute tua exercite, Parentibúsque subdite. Miserere mei & N. &c.

Stola. JESU Discipulos in societatem ulteriorum laborum tuorum adsciscens. Miserere mei & N. &c.

Casula. JESU onus Evangelii prædicandi assumens, illúdque indefessè exercens. Miserere &c.

Egressus è Sacristia ad Altare. JESU de cænaculo ad hortum Gethsemani progrediens.

Descensus ab Altari. JESU à Discipulis ad orandum avulse.

Confiteor. JESU in horto mærens, in terram prostrate, Patrem orans, sanguine sudans, ab Angelo confortate, in voluntatem Patris Te resignans.

Ascensus ad Altare. JESU hostibus tuis obviam prodiens.

Osculum Altaris. JESU à Juda, fraudulentô osculô tradite, capte, ligate, à Discipulis derelicte.

Introitus. JESU in domo Annæ crudelî alapâ percusse.

Kyrie eleison. JESU à Petro ter abnegate.

Gloria in Excelsis. JESU coram Caipha, & maligno Concilio, falsò accusate, alapîs & colaphîs percusse, conspute reúsque mortis judicate.

Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Dominus vobiscum. JESU Petrum lapsum respiciens, eúmque ad amaras lachrymas adducens.

Collecta, Epistola &c. JESU in fœtidum carcerem conjecte, ibíque tetro odore, ac multîs injuriîs, & opprobriîs, tota nocte, propter nocturna hominum scelera, atrocissimè divexate.

Munda cor meum. JESU manè iterum ante Caipham & impium Concilium constitute, iterúmque reus mortis judicate.

Evangelium. JESU ad Pilatum in vinculis adducte, iniquè accusate, multîs opprobriîs & blasphemiîs afflicte.

Symbolum. JESU ab impio Rege Herode, veste alba indute, sprete, & illuse.

Offertorium. JESU ad Pilatum reducte, vestibûs denudate, ad columnam alligate, flagrîs crudeliter cœse, & lividîs cruentísque plagîs toto corpore cooperte.

Infusio Calicis. JESU spinîs coronate, chlamide purpurea indute, arundine percusse, innumerîs opprobriîs saturate.

Oblata Cruce signans. JESU de suggestu Prætorii populo ostense, Barabbæ latroni postposite, ad Crucem horrendîs clamoribûs postulate.

Lotio manuum. JESU ad Crucem à Pilato condemnate, & gratias pro decreto hoc, Deo Patri agens.

Incli-

Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Inclinatus Sacerd: orat in medio. JESU Cruce onerate, & sub ejus pondere fatiscens.

Orate fratres. JESU Matri Sanctissimæ, & piis mulieribus valedicens, ac Veronicæ faciem in linteo expressam relinquens.

Præfatio. JESU montem Calvariæ cum Cruce conscendens.

Sanctus, Sanctus. JESU ad supplicium Crucis præconizate.

Osculum Altaris. JESU vinô Myrrhatô cum felle mixtô potate.

Cruces super oblata formantur. JESU Crucem pro te configendo terebrari, & clavos malleósque expediri intuens.

Memento. JESU coronâ spineâ vestibúsque spoliate, in Crucem prostrate, & Passionem tuam pro nobis Patri offerens.

Communicantes. JESU Electorum tuorum ante Crucifixionem singulariter memor.

Expanduntur manus super oblata. JESU in Cruce extense, & in Sacro pectore disrupte, ac in totis artubus divulse.

Cruces formantur. JESU in manibus, pedibúsque vulnerate, & Cruci confixe, ac spineâ Coronâ ultimò redimite.

Elevatio Hostiæ. JESU in Cruce elevate, in profundam scrobem demisse, hostiam Te DEO Patri pro nobis immolans.

Elevatio Calicis. JESU copiosum sanguinem de vulneribus profundens.

Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Cruces formantur post Elev. JESU innumeris blasphemiîs & opprobriîs in Cruce saturate.

Osculatur Altare inclinatus. JEsu pro tuis hostibus Patrem deprecans.

Cruce signat Hostiam, Calicem, & se. JESU vestimenta tua inter milites dividi, cum dolore intuens.

Memento Mortuorum. JESU latroni Paradisum promittens, Matri Joannem, & Joanni Matrem commendans.

Nobis quoque peccatoribus. JESU derelictum Te àDEO Patre conquerens.

Signat oblata. JESU *sitio* gemebundè clamans.

Signat Hostiâ Calicem. JESU felle & acetô, in siti ardentissima potate.

Cooperit Calicem. JESU Consum̃atum est, edicens.

Pater noster. JESU in manus DEI Patris Spiritum tuum commendans.

Patenâ se signat; eámque Hostiæ supponit. JESU inter atrocissimos dolores, in Cruce agonizans.

Fractio Hostiæ. JESU in Cruce per separationem animæ à corpore, moriens.

Particulam Calici immittit. JESU secundùm animam in limbum descendens.

Agnus DEI 1. JESU lanceâ in latere transfixe. 2. à Centurione pro justo. 3. à turba: pro Filio DEI agnite.

Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Incli-

Inclinatus Sacerdos orat. JESU, ut Corpus Tuum ſanctiſſimum de Cruce deponeretur, à Pilato poſtulate, & impetrate.

Panem Cœleſtem. JESU à Joſepho & Nicodemo de Cruce depoſite.

Domine non ſum dignus. JESU in ulnis doloroſæ Virginis Matris collocate, ejúsque lachrymîs amariſſimîs perfuſe, aromatibûs à Nicodemo & Joſepho inuncte, Sindone mundâ involute.

Sumptio Hoſtiæ. JESU à dilectis Tuis amicis, cum funebri luctu, ſepulchro illate, & tumulate.

Sumptio Calicis. JESU cujus pretioſum Sanguinem diſperſum, Angeli cum magna reverentia collegerunt, & honorificè adorârunt, uſque ad Reſurrectionem aſſervârunt.

Poſt Communio. JESU glorioſè ex monumento reſurgens.

Dominus vobiſcum. JESU poſt Reſurrectionem Tuam, primùm Matri ſanctiſſimæ, deinde Magdalenæ, ac Diſcipulis apparens.

Collecta. JESU per quadraginta dies poſt Reſurrectionem Tuam cum Diſcipulis converſate.


Ite Miſſa eſt. JESU Diſcipulos è cænaculo in montem Oliveti educens.

Benedicat vos. JESU Diſcipulis valedicens, eósque benedicens, & in Cœlum cum gloria

Miſerere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

ascendens. Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.

Evangelium S. Joannis. JESU Spiritum S. in Discipulos è Cœlo mittens, eísque variarum genera lingvarum ad Evangelium prædicandum tribuens. Miserere mei & N. cui Sacrificium hoc applico.



PRAXIS

Gratiarum actionis post Missam vel Communionem faciendæ.

PEractâ Missâ, permagni refert, nosse uti illo tempore, quô apud nos Christus demoratur, & tanti hospitis frui præsentiâ. Neque enim tempus ad negotia salutis agenda magìs opportunum habere possumus, quàm cum ipsum salutis Authorem intrà nos habemus. Si quispiam invitâsset amicum, sed mox, quasì tædiô correptus, Domô jam exceptum desereret, & nescio ad quæ ludicra sese converteret, non dignatus hospitem familiarî alloquiô, aut ullô benevolentiæ vel humanitatis officiô; nonnè hoc inurbanum, & indignum esse diceres. Quid igitur de iis dicendum, qui DEO in domum suam receptô, mox dorsum obvertunt, nec curant cum eo paulisper conversari: quid hoc est, nisì vilipendere hospitem; imò etiam graviter offendere, maximè cùm sit ille hospes, qui ad te venit, non ut reficiatur à te; vel ditetur; sed ut reficiat te, ac ditet. Quid ergo sic properas? quid

quid præter DEum tuum quæris? plùs ille te docebit, quàm omnes libri; plùs recreabit, quàm omnes amici; plùs boni præstabit, quàm omnes mundi artes, & opes.

Praxis ergo seu exercitium tractandi cum Christo, post Missam peractam, ad 4. capita revocabitur. Ad cultum Latreuticum seu adorationem; ad Gratiarum actionem; ad satisfactivam oblationem, ad impetrationem.

Cultus Latreuticus.

Ut ergò excites te magìs ad debitam tantæ Majestatis adorationem; exerce Actus vivæ Fidei, Spei, Charitatis mixtîs affectibûs humilitatis, reverentiæ, admirationis &c.

O Sapientia infinita! ô æterna Veritas! ô Bonitas immensa! quæ nec falli, nec fallere potes, credo in Te & credo Tibi in omnibus, quæ nobis revelâsti, & quæ per Ecclesiam tuam credenda proponis. Imprimìs verò credo, Te in hoc sanctissimo Sacramento esse præsentem, prout apertîs verbîs asseruisti; quibus plùs tribuo, quàm ingenio meo, omnibúsque sensibus; & pro hac Fide, per Tuam gratiam mori sum paratus. Spero in Te, ô ineffabilis Bonitas, confidens infinitæ misericordiæ Tuæ, & pretiosissimis Tuis meritis, daturum Te mihi veniam, gratiam, & gloriam. Amo, & amabo Te, ac omnia, quæ Tu amas propter Te, ô fons inexhauste omnis boni, quia Tu omni amore di-

dignus es. Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine, & amabilitate Tua, & de omni obsequio, laude, honore, & gloria, ab Electis Tuis, & creaturis omnibus unquam Tibi reddita, & in æternum reddenda. Te Tuúmque in omnibus beneplacitum amplector, omníque possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris, & pietatis affectu veneror, & exosculor. Quidquid in omnem æternitatem egero, aut fuero passus; cedat ad Tuam gloriam. Totus sum Tuus, fac de me, quidquid vis nunc & in æternum. Nihil ergo de veritate præsentiæ Tuæ dubitans, Te supplex adoro, benedico, glorifico. Utinam verò eô Te modô adorare, benedicere, glorificare valeam, quô Te tot millia Angelorum, Sanctorúmque Tuorum in Cœlis adorant, benedicunt, glorificant. O Clementissime Salvator, quàm svavis ac mitis es, multæque misericordiæ omnibus invocantibus Te? Cùm enim non essemus, Divinâ potentiâ creâsti nos: cùm inimici tui essemus, è cœlo veniens mirâ sapientiâ redemisti nos: ut verò nos miseros ac debiles in hoc exilio pasceres & conservares; tot Sacramentîs, totque auxiliîs gratiæ Tuæ Ecclesiam Tuam instruxisti; imò Corpus & Sanguinem Tuum, id est, Teipsum ineffabili bonitate & modô prorsus admirabilî, in hoc Sacramento nobis dedisti. O charitas, ô pietas, ô novum & grande mysterium! Túne DEus meus ad me venire dignaris? Rex ac Dominus summæ Majestatis ad servum infimum; DEus ad homi-

minem; Creator ad creaturam? Unde hoc mihi, ut Tu Domine venias ad me, à quo abire poteras, imò debueras; quia homo peccator sum? Quid enim est homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? An nescis, quis sim ego? Pulvis utique & cinis, vas sordium, & esca vermium, & ad hunc Tu de cœlo venis? O DEUS & Dominus noster, quàm admirabile est Nomen Tuum in universa terra? Cui proinde unà mecum omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, nunc & in sæcula sæculorum.

Gratiarum actio.

Hic exerce actus gratitudinis, laudationis DEI, & alios ad hoc invita.

QUid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Utinam aperiantur labia mea, & repleatur os meum laude, ut cantem gloriam Tuam, tota die magnitudinem Tuam, & enarrem universa mirabilia Tua. Magnificet anima mea Dominum, tot tantísque affecta beneficiîs, & exultet spiritus meus in DEO salutari meo; quia respexit humilitatem servi sui, & fecit mihi magna, qui potens est, & esurientem implevit bonîs. Benedic ergo nunc anima mea Domino, & omnia, quæ intrà me sunt Nomini sancto ejus; qui propitiatur omnibus peccatis tuis, qui sanat, per hujus Sacramenti virtutem, omnes infirmitates tuas. &c. Magnus

Tu es Domine, & laudabilis nimìs, quis Tuas enarrabit potentias? quis auditas faciet omnes laudes Tuas? Ego quidem, etsi omnia membra mea verterentur in linguas, & omnes vitæ meæ respirationes transirent in Tui laudes, & gratiarum actiones; tamen longè minor essem cunctîs miserationibûs tuîs: unde agnoscens insufficientiam meam, id unum votîs omnibûs exopto, ut omnes Creaturæ Tuæ, mecum & pro me laudent, ac benedicant Nomen sanctum Tuum in æternum.

Sed ante omnia ô Clementissime DEus, accipe laudes & gratiarum actiones, quas tibi Unigenitus Filius Tuus Salvator noster, in assumpta Humanitate, à primo suæ incarnationis instanti, toto vitæ suæ decursu persolvit. Et illas præcipuè, quas instituens hoc Sacramentum, & quasì jam tum agnoscens, impares nos esse gratiis tanto beneficio referendis, elevatîs in Cœlum oculîs ad Te DEum Patrem suum Omnipotentem, nomine omnium Nostrûm, Tibi gratias egit.

Suscipe ô piissime Pater, & illas gratiarum actiones, quas Beatissima Virgo, Unigeniti Filii Tui Mater Tibi obtulit, quando eum, quem ego nunc pectori meo inclusum complector, ipsa castissimîs suîs visceribûs concepit, gestavit & peperit. Nec non & illas, quas toto vitæ suæ tempore, & potissimùm, quoties jam sublatum in cœlos, in Sacramento recepit, ex ardenti cor-

cordis desiderio, & intima devotione persolvit.

Benedicant quoque & laudent Te omnes Angelici Spiritus, qui throno Majestatis Tuæ jugiter trementes assistunt, & cantant incessabili voce dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Desidero quoque ex toto corde, ut omnes Sancti & amici Tui, Tecum modò regnantes in cœlis, quorum Communionem credimus, meam insufficientiam compensent, suîs dignissimîs laudibûs, quas unquam in terra, in usu & veneratione hujus Sacramenti devotissimè obtulerunt, & quas Tibi modò decantant, cùm revelata facie comedunt panem vitæ, & torrente voluptatis Tuæ potantur. Participem me fac DEUS meus omnium timentium Te, & custodientium mandata Tua.

O utinam pariter omnium piorum affectus, fervores, & omnia Tibi in terris placentium vota, desideria, & merita, in me unum colligere possem, atque sic tota animi intensione Te amare, & honorare, pro tanto, quô me in hoc Sacramento dignaris, amore & honore.

Profiteor enim, si, quotquot in mundo fuerunt, sunt, aut erunt devotorum, qui debita cum præparatione, devotione, & fructu, Divinissimum hoc Sacramentum unquam acceperunt vel accipient; si inquam, illorum omnium conatus, desideria, & grati, piique affectus, in me unum concurrerent; libens sanè & ultrò omnia

prorsùs in laudem & gloriam Nominis Tui, debitámque gratiarum actionem converterem.

Et tamen ingenuè fateor, servus inutilis essem, nec Te condignè laudare possem; quia major es omni laude. Sed parce mihi Domine, quia inops & pauper sum ego: saltèm igitur desiderium pauperis, seu hominem bonæ voluntatis non despicias. O utinam benedicant omnia opera Domini Domino, laudent, & superexaltent eum in sæcula.

Oblatio Satisfactiva.

Offer DEO Patri Christum cum ejus meritis, ac teipsum offer Christo.

O Pater misericordiarum, grandis est, & laudabilis super omnia, immensa illa Charitas Tua, quâ sic mundum dilexisti, ut Filium Tuum Unigenitum dares; ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Quid Tibi pro tanta Charitate ego vilis creatura retribuam? Ecce illum ipsum dilectissimum Filium Tuum offero Tibi, mi Pater, quem pro salute mea tam amanter obtulisti, & in hoc Sacrificio, quod pro jugi illius beneficii memoria celebramus, tam gratiosè offerendum & sumendum dedisti.

Quem potiùs Tibi offeram, ô Pater æterne, quàm Filium Tuum dilectum, in quo Tibi benè complacuisti? Quem alium dirigam intercessorem Tibi ego reus, nisì hunc, qui est propitiatio

pro

pro peccatis meis, Advocatus, Pontifex summus, non alieno sed proprio sanguine perfusus, Hostia Sancta, Agnus sinè macula, qui peccatum non fecit; sed abstulit peccata mundi, & langvores nostros livore suo sanavit.

Ecce spes mea, tota fiducia mea, Christus JESUS Filius Tuus, Salvator meus: noli, quæso despicere hanc oblationem, quamvìs id mereatur vilitas offerentis; sed aspice, precor, propitiùs, quia major est in infinitum dignitas oblati. Respice in faciem Christi Tui, qui Tibi pro nostra salute factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Aspice Pater piissimum Filium Tuum, pro me tam impia & crudelia passum: respice in eum, qui passus est, & reminiscere benignè, pro quibus passus. Nonnè hic est innocens ille, quem, ut servum redimeres, Filium tradidisti? Recole piissime Pater, quia hic est ille, quem etsi ex Tua Essentia genuisti, meæ tamen carnis participem fieri voluisti, ut factus consors meæ Humanitatis, consortem me faceret suæ Divinitatis. Attende in Filio, quod Te moveat, misereri servo; & dum dilecti Filii Tibi patent vulnera; mea quæso tegantur scelera; & quia caro Te lacessivit ad iram, caro Te, obsecro, flectat ad misericordiam, & veniam.

Suscipe igitur, O Sancte Pater, Omnipotens, æterne DEUS, hanc sanctam & immaculatam Hostiam Filii Tui, quam ego indignus famulus

lus Tuus offero Tibi, unà cum omnibus virtutibus, meritis, vulneribus, cruciatibus, plagis, suspiriis, cum omnibus sacri sudoris, & cruoris ejus guttis.

In unione illius amoris, quô ipse Tibi in ara Crucis semetipsum obtulit; in laudem & gloriam Nominis Tui; in gratiarum actionem, pro omnibus beneficiis Tuis, mihi totíque generi humano collatis.

In expiationem quoque peccatorum meorum; in suppletionem omnium defectuum meorum; in solatium & refrigerium omnium fidelium vivorum & defunctorum &c. &c. per eundem, quem hìc offero, Dominum nostrum Filium Tuum. O Amantissime Salvator, quàm magna est super me misericordia Tua, quem, etsi vilem & indignum peccatorem, emisti tam magnô pretiô, nimirùm Sanguine Tuo pretiosissimo. Nam ut me satanæ mancipium liberares, Tu verus DEI Filius obtulisti Temetipsum in ara Crucis DEO Patri in Redemptionis pretium; ut verò me pasceres & confortares, Temetipsum nunc mihi in cibum dedisti. Quid retribuam Domino, cùm pauper & inops sim ego, pro omnibus, quæ retribuit mihi? an vis Tibi præberi cor meum; nonnè DEO subjecta erit anima mea, à quo omne salutare meum? Nonnè animam meam jure sibi vendicat, qui pro ea animam suam posuit. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum; accipe me totum, qui me totum fecisti: & cúm

to-

totus periiſſem, pro me Te totum dediſti. Verùm quæ commutatio? ſi pro Te reddam me: nempè pro Domino ſervum, pro DEO hominem, pro Sancto & juſto iniqvum, & impium, pro agno immaculato, ſordidum peccatorem. Sed Tu Domine, qui dignum habuiſti me, pro quo dares non alium quàm Te, nunc quoque ſuppliciter rogo, nè avertas faciem Tuam à me, neque deſpicias me DEUS ſalutaris meus. Suſcipe ſervum Tuum in bonum; qui accepiſti pro me formam ſervi. Suſcipe hominem, qui pro me factus es homo. Suſcipe peccatorem & ovem perditam, qui es Paſtor bonus, & Agnus ſinè macula, tollens peccata mundi.

Suſcipe pariter obſequium ſervitutis meæ, quod oculis Tuæ Majeſtatis indignus obtuli, in unione illius Sacrificii, in quo Tu Temetipſum pro me DEO Patri in ara Crucis Hoſtiam obtuliſti. Conjunge vile ſervitium meum cum omnibus, quæ egiſti; & paſſus es ex perfectiſſima charitate, & obedientia, & cum divitiis ſatisfactionum ac meritorum Tuorum, Patri æterno illud offerre digneris; ut de Tua abundantia ditetur mea inopia; & quam ex me ipſo nullatenus mereor, Te mediante, gratiam obtineam. In manus Tuas commendo ſpiritum meum, Domine DEUS veritatis, qui me redemiſti. Tibi deinceps adhærere bonum mihi eſt, & ponere in Te ſpem meam. Quid enim mihi ſit in cœlo, & à Te quid velim ſuper terram?

Tu

Tu enim es pars hæreditatis meæ, & calicis mei, Tu es qui restituturus es hæreditatem meam mihi.

Impetratio.

Nè dubites hìc avidè, & instanter multa petere, tibi ipsi & proximis thesaurum hìc infinitum habes Cœlestium divitiarum. Aviditas petentis, donantis liberalitatem provocat. Dilata os tuum, & DEus implebit illud.

O Clementissime Salvator in multitudine misericordiæ & bonitatis Tuæ introivi ad Altare Tuum, à quo conscius miseriæ & iniquitatis meæ, meritò abstinere debueram, nè fortè accessu temerario reus fierem Corporis & Sanguinis Tui. Verùm Tu dulcissime Domine, delicta juventutis meæ & ignorantias meas nè memineris, sed potiùs reminiscere miserationum Tuarum, ut non intres in judicium cum servo Tuo, quia non justificabitur in conspectu Tuo omnis vivens. Si enim iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit? quis accedere ad mensam Tuam audebit? quis feret rigorem justitiæ Tuæ? aut quis subsistet in conspectu Divinæ Majestatis Tuæ, in quo etiam Cœli non sunt mundi?

Ecce O Domine confiteor adversùm me injustitiam meam; Tu quæso remitte impietatem peccati mei. Tibi soli peccavi, & malum coram Te feci. Sed Tu, qui venisti peccatores salvos facere, salva me, nè projicias me à facie

Tua,

Tua, pro cujus salute Temetipsum spontè tradidisti in pretium, pro cujus alimonia Temetipsum in cibum dedisti. O quanta erit fiducia peccatoris, cui cognita est tanta pietas Salvatoris! Quid erit O Christe Salvator, quod impediat me, nè veniam ad Te, qui à summo Cœlo, causâ salutis meæ venisti ad me. Infirmus quidem & afflictus sum nimis: sed an ideò à facie Tua fugiam? Imò vel ideò solùm ad te veniam, quia infirmus sum: non enim opus est benè habentibus medicô, sed his, qui malè habent: Tu autem solus es Medicus animæ meæ, qui languores nostros Tuo livore sanâsti: sana ergo animam meam, quia peccavi Tibi. Iniquitates meæ, sicut onus grave, gravatæ sunt super me: & quis alleviabit, aut quis portabit onus meum? Tu es ô Domine Agnus DEI, qui tollis peccata mundi: qui bajulâsti Crucem, ut portares nostram iniquitatem: qui dixisti: venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: Cur ergo ad Te non veniam, qui solus relevare potes peccatorum meorũ sarcinam.

Ego vitiis, pravísque passionibus coinquinatus sum, & ideò ad Te confugi; quis enim alius mundum faciet, de immundo conceptum semine, nisì Tu Domine, qui lavisti nos à peccatis nostris in Sanguine Tuo. Lava ergo me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

Ego sum filius ille prodigus & inobediens, qui à Te profugus, omnem consumpsi substantiam;

tiam; & nunc extremam patior inopiam: quò ibo, si ad Te non redeo amantissime mi Pater? Tu enim es Pater misericordiarum, & DEus totius consolationis, qui semper recipis in gratiam Filios ad Te revertentes, eósque affectu paterno foves. Ego quidem non sum dignus dici filius Tuus; Tu nihilominus vis haberi & esse Pater meus. Sis itaque mihi propitius & clemens: recipe exulem filium, operias nudum, reficias esurientem, dites inopem. Quomodò miseretur Pater filiorum, sic miserere mei, ô misericors & miserator Domine: nunquid enim lætaris in morte & perditione peccatoris, qui ut ego viverem, pro me dignatus es mori. Ecce, quâ fiduciâ ad Te venio, O Christe Salvator, quamvìs sim homo peccator: sed Tu parce mihi per infinitam misericordiam Tuam, si non eâ, quâ par erat curâ, præparatione, ac devotione tremendum hoc egi Mysterium. Memorare Domine, quæ sit mea substantia: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Domine ante Te omne desiderium meum, & gemitus meus à Te non est absconditus.

O Benignissime DEus, cupio ex toto corde Tibi servire deinceps in justitia & sanctitate, omnibûs diebûs vitæ meæ: utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes Tuas. Hoc votîs omnibûs desidero, ut cor meum ab omni-

omnibus rebus creatis abstraham, Tibíque totus uniar, ut per hujus Sacramenti virtutem, ego in Te & Tu in me maneas. Tibi adhærere cupio, quia Tu es DEUS Salvator meus, Dux, Medicus, Magister, imò Pater meus & omnia. Utinam exhibeam corpus meum hostiam viventem, sanctam, Tibi placentem; vivam ego, jam non ego, vivat verò in me Christus, quem intrà meipsum habeo. Juravi ô DEUS & statui custodire judicia justitiæ Tuæ.

Verùm ô Domine, velle quidem mihi adjacet, perficere autem non invenio; quia in membris meis reperio aliam legem, repugnantem legi mentis meæ, ut, non quod volo bonum, hoc faciam. Ad Te itaque ô Domine levavi oculos meos, quia imperfectum meum vident oculi Tui. Tu respice precor oculîs misericordiæ Tuæ infirmitatem meam: nam sinè Te nihil boni facere possumus; ex Te autem est omnis sufficientia nostra. Tu itaque deduc me Domine in semitam mandatorum Tuorum, quia ipsam volui.

Eripe me de inimicis meis Domine, qui parâsti in conspectu meo mensam, cujus nunc factus sum particeps, adversùs eos, qui tribulant me: fac mecum signum in bonum, ut videant, qui oderunt me & confundantur; quia Tu Domine adjuvisti me & consolatus es me.

Da mihi intellectum & scrutabor legem Tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Proba me DEus & scito cor meum; interroga me, & co-

gnoſce ſemitas meas; & vide, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in viam æternam: dirige in conſpectu Tuo viam meam, ut declinem à via, cujus noviſſima ducunt ad mortem. O Scrutator cordis mei, vides, quàm ſim fragilis & pronus ad hoc N. vel illud vitium: ego quidem lapſum cavere firmiter propono; ſed tamen labar; nisì Tu manum Tuam ſupponas: adjuva ergo infirmitatem meam gratiâ Tuâ. O Chriſte JESU mitis & humilis corde, qui humilias Te ad manus cujuslibet etiam indigni Sacerdotis, qui demittis Te ad ſpecies panis & vini; adeoque à multis viliter, & contemptim tractaris; da mihi gratiam Tuam, ut non exaltetur cor meum; neque elati ſint oculi mei; neque ambulavi, in magnis & mirabilibus ſuper me.

O mi Domine! qui cùm dives eſſes, pauperis ſervi formam accepiſti: inclina cor meum in teſtimonia Tua, & non in avaritiam, ut delecter in via teſtimoniorum Tuorum, ſicut in omnibus divitiis.

O Agne immaculate! qui de Virgine naſci voluiſti; da mihi puritatem mentis & corporis; per illud, quod hìc nobis præbes, vinum germinans virgines.

O Chriſte JESU! qui tanquam Agnus innocens, ductus es ad victimam, totque injurias & opprobria paſſus; da mihi ſpiritum patientiæ & manſvetudinis.

O Chriſte Salvator! qui in extrema ſiti, potatus

tatus es felle & aceto, & omnes ſpiritûs delicias in hoc Sacramento nobis parâſti; aufer à me ventris concupiſcentias, ut Tibi DEO meo ſerviam; non ventri, aut voluptati.

O Domine, qui in horto, ſanguineo ſudore manans, prolixè, & ferventiſſimè orâſti; fac, ut laudem Te, ex toto corde; nec dormitet anima mea præ tædio, in cultu ac ſervitio Tuo.

O dulciſſime Salvator cordium! Tu nôſti, quid ſit in homine, qui omnes vias meas conſideras: Tu ſcis optimè, quibus in hoc ſtatu & officio, in quo per gratiam Tuam ſum conſtitutus, virtutibus & donis magis indigeam. Tribue itaque mihi gratiam Tuam, qui tam copioſum gratiæ Authorem, nobis in hoc Sacramento dediſti, & me nunc ad illius participationem tam clementer admiſiſti. Quæ autem non obvenient bona illi, ad quem divertere dignatur fons ipſe bonorum! Ingreſſus aliquando in domum Zachæi, dixiſti: Hodie huic domui ſalus facta eſt. Jam es ingreſſus, ô Chriſte, domum animæ meæ. Dic ergo illi quæſo: Salus Tua ego ſum; quia Tuum dicere, eſt facere; & Tu ſolus es DEus Salvator meus.

Adjuva me DEus ſalutaris meus, & propter gloriam Nominis Tui libera me, & ſalva me, quid eſt enim JEſus, niſì Salvator? verè non eſt aliud Nomen ſub cœlo, datum hominibus, in qu[redacted]oporteat nos ſalvos fieri. Cor mundum crea in me DEus, & ſpiritum rectum innova in

visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris Tui, & spiritu principali confirma me. O Domine, qui tam dignanter venisti ad me, non dimittam Te, nisì benedixeris mihi; qui aperis manum Tuam, & imples omne animal benedictione. O utinam accipiam benedictionem à Domino, & misericordiam à DEO salutari meo! quatenus eam de virtute in virtutem; donec Te clarè videam DEum Deorum in Sion, quem nunc velatum in Sacramento, & per speculum in ænigmate video. O Domine, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideóque pro omnibus mortem subiisti, & hoc Sacramentum instituisti; salvos fac servos Tuos, DEus meus, sperantes in Te. Memor esto Congregationis Tuæ, quam possedisti ab initio. Salvum fac populum Tuum Domine, & benedic hæreditati Tuæ, & rege eos, & extolle illos in æternum. Subveni quæso famulis Tuis, quos pretioso sanguine redemisti. Mitte eis Domine auxilium de Sancto, & de Sion tuere eos.

Miserere Amicorum, Benefactorúmque meorum NN. Communica illis meritum pretiosi Sanguinis Tui, & Passionis Tuæ, ut ope gratiæ Tuæ, sic vitam præsentem instituant, ut tandem in Cœlis æternæ vitæ præmium recipiant. *Memineris hìc etiam defunctorum.*

O Dulcissima Virgo Mater! quæ eundem Dominum, quem ego modò suscepi, de Spiritu Sancto conceptum, in sacratissimo utero Tuo di-

dignè portâſti, intercede pro me apud eundem Filium Tuum, omníſque negligentiæ, & indignitatis in ſummi hujus Sacramenti ſumptione commiſſæ, veniam mihi impetra.

Mater miſericordiæ, per Te, precor, acceſſum habeam ad Filium, & per Te nos ſuſcipiat, qui per Te datus eſt nobis. Excuſet apud ipſum integritas Tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Tua DEO tam grata, noſtræ veniam impetret vanitatis & ſuperbiæ. Copioſa charitas Tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas Tua glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum. O Domina Noſtra, Mediatrix noſtra, Advocata noſtra, Tuo Filio nos repræſenta, Tuo Filio nos reconcilia, Tuo Filio nos recommenda. Fac ô Benedicta per gratiam, quam meruiſti; per miſericordiam, quam peperiſti; ut qui Te mediante, dignatus eſt fieri particeps infirmitatis & miſeriæ noſtræ; Te quoque intercedente, participes nos faciat bonitatis ac gloriæ ſuæ, JESUS Chriſtus Filius Tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia benedictus in ſæcula.

O Sancti DEI omnes, qui jam tranſiiſtis hujus mortalitatis pelagus, & pervenire meruiſtis ad portum æternæ felicitatis; qui in carne viventes, ſic Domino ſerviviſtis, ut jam cum ipſo ſinè fine regnetis: Obſecro vos per veſtram charitatem, ut ſicut eſtis ſecuri de vobis, ità ſitis ſolliciti pro nobis. Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui nunc, re-

replet in bonis omne desiderium vestrum; estote memores nostri, qui adhuc in mediis naufragii versamur periculis. Subvenite misero peccatori, qui ad portum quietis, quem vos feliciter attigistis, aspiro; ut per vestras orationes, vestro tandem jungar consortio. Sed interim, dum hæreo in via, opus mihi est viatico, quô confortatus feliciùs iter conficiam. Viaticum nostrum est Christus ipse Salvator, quô vos satiamini in patria, nos sustentamur in via; donec veniat tempus, quô vobiscum satiemur & nos ab ubertate Domûs DEI. Adeste mihi, quæso, precibûs, meritísque vestrîs, ut Panis ille cœlestis & viaticum Divinum, quod modò sumpsi, præstet mihi robur & tutamen contra omnes infirmitates, pericula, & insidias, ut in fortitudine cibi illius ambulem per hujus mundi desertum, usque ad montem DEI; ibidémque dulcissima illius fruitione jugiter gaudeam, & DEum unà vobiscum laudem, per omnia sæcula, Amen.



PARAPHRASIS
IN ORATIONEM DOMINICAM,
Ante vel post Missam, aut Communionem, fructuosè usurpanda.

PAter noster. Potentissime, Sapientissime, Clementissime; qui, ut dulcedinem Tuam in filios Tuos demonstrares, Pane svavissimo de cœ-

cœlo præſtito, eſurientes reples, & omnia, quæ creâſti, tam paternè & mirabiliter alis, atque conſervas; adeoque nec mihi ſupplici Filio Tuo, ùt confido, pro Paterna bonitate Tua quidquam denegabis. Unde confidenter nunc levo ad Te oculos meos.

Qui es in cœlis. Ut oculîs miſericordiæ Tuæ, reſpicias me miſerum, exulantem à facie chari Parentis, & inter tot pericula, in terris peregrinantem.

Sanctificetur Nomen Tuum. Omnia quæcunque facio, dico, cogito, cedant ad majorem Tui Nominis gloriam: nunc verò præcipuè, cùm ad ſacra Corporis & Sanguinis Filii Tui myſteria venio: hoc unum volo, hoc deſidero, ut laudetur ſuprema Tua Majeſtas, & immenſa Tua Bonitas ametur, cui ob ſummam excellentiam, debetur ab omni creatura omnis Honor & Gloria, æterna Laus, & Gratiarum actio. Sed quis dignè laudare Te, aut gratias agere Tibi poterit? ecce Filius Tuus dilectus, in Sacroſancta Euchariſtia abſconditus, in quo Tibi benè complacuit.

Adveniat Regnum Tuum. Cujus Regni felicitatem ac delicias in hoc Sacramento prælibamus. Dediſti enim nobis, in pignus futuræ gloriæ, Corpus & Sanguinem Filii Tui: & ſic nos quoque per gratiam adoptionis feciſti Tibi hæredes, cohæredes autem Chriſti: interim verò dum adhuc in exilio peregrinamur à Domino, fac nos ità [redacted] ſacro pignore uti, quatenus in dies magìs,

gis, magísque in nobis proficiat Regnum Tuum gratiæ; ut tandem in nos perveniat Regnum Tuum gloriæ.

Fiat voluntas Tua. Jubemur enim manducare Carnem Filii Tui, DEI-Hominis, & bibere Sanguinem ejus; alioquin vitam in nobis non habituri. Quis enim hoc præſumeret, conſcius infirmitatis ſuæ, nisì id tam amanter & diligenter Tu unà cum Filio velles, & præciperes? Quia ergo ità vis, fiat, quod vis, & quomodò vis: hæc eſt enim voluntas Tua, Sanctificatio noſtra, nempe nos eſſe ſanctos par eſt, quia Tu Sanctus es, & accedimus ad ipſum Sanctum Sanctorum. Fac igitur Domine, ut hæc ſancta non tractemus; nisì ſanctè & religiosè. Unde

Sicut in cœlo. Sancti pleno ore, puro corde, & ardentî deſideriô manducant hunc panem vivum revelata facie; ità & nos *in terra* magnô deſideriô & prompto affectu comedamus eum ſpeciebûs Sacramentalibûs velatum; donec & nos cum Electis Tuis videamus illum in propria ſpecie, & ſatiemur ab ubertate Domûs Tuæ.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Tu, qui das nobis in Te ſperantibus eſcam in tempore opportuno; Tu, qui aperis manum Tuam, & imples omne animal benedictione; mihíne ſoli deeſſe poteris? Nôſti Domine, quia non minùs anima quàm corpus indiget cibo, ut vivat: illud enim naturali calore, hæc æſtu concupiſcentiæ conſumitur. Adhucnè inhiabo ſiliquis porcorum,

rum, cui in Domo Patris mei vesci licet Pane Filiorum, imò Angelorum, mannâ cœli, & Pane vivo, qui de cœlo descendit? O pretiosa & nobilis esca, sed ô grandis æterni Patris charitas & misericordia! Mihi enim non serenti, nec metenti, nec habenti horrea, datur è cœlo frumentum Electorum & Panis vitæ. Tu Domine seminâsti illum in terris; Tu mortis falce messuisti; eúmque in horreo Ecclesiæ Tuæ nutriendis filiis Tuis totum exposuisti. Da ergo mihi Benignissime Pater, ut hoc Pane sæpiùs dignè reficiar, imò etiam quotidie (si non Sacramentaliter, saltèm spiritualiter) recipiam, quod mihi quotidie prosit, quia enim quotidie pecco, ac deficio, an non meritò quotidie etiam remedium accipio, quod vires meas reficiat? O utinam hoc cœlesti Pane & viatico, ità sustenter in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem DEI.

Et dimitte nobis debita nostra. Heu quàm multa & gravia! In multis enim offendimus omnes. Verè nos miseri & inopes, solvendo non fuimus, neque sumus: sed ecce Domine apud Te est misericordia, & copiosa apud Filium Tuum redemptio, quem nostrî misertus, dedisti nobis. Ille justus, impollutus, & innocens per omnia; quod nos debuimus, solvit; quod nos peccavimus, ipse luit, Tuæque Justitiæ abundè satisfecit, donans nobis immensum meritorum suorum thesaurum, & infinitum sui Sanguinis pre-

tium. Hoc autem totum, velut depoſitum, habemus in pretioſo Sanctiſſimi Sacramenti ærario reconditum. Hunc ergo theſaurum nunc Tibi ô Pater æterne offero, ut inde capias, quantum à me pro debitis meis exigis. Ego unde ſolvam, non habeo; at Filii Tui ſuperabundant merita, ut inde noſtra ſolvantur debita. Propter hunc itaque.

Dimitte nobis, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Dimittimus, inquam, nè fortè extra vinculum charitatis, indignè tractemus Sacramentum pacis & unitatis, ac fruſtrà à DEO quæramus miſericordiam, ſi nos ipſam homini negemus. Quæ enim nobis communicatio cum Corpore & Sanguine Domini? Si membris Corporis ejus myſtici, id eſt, proximis noſtris, communione pacis & amoris non conjungimur? Oportet nos utique, cùm accedere volumus ad Altare, priùs reconciliari Fratribus noſtris, ſi quid habent adversùs nos; & ſic venire ad offerendum munus noſtrum. Hoc Filius Tuus nos facere docuit, & ipſe fecit. Cùm enim eſſet in cruce, exſolvens omnium debita, dimiſit inimicis ſuis, & pro tortoribus ſupplex rogavit, dicens: Pater ignoſce illis &c. Dimitte mihi itaque debita mea, pro quibus Filius Tuus offert merita ſua. Hîs enim ſeclusîs, ſi iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit?

Et nè nos inducas in tentationem. O Domine, qui parâſti menſam in conſpectu noſtro, adver-

sùs

sùs omnes, qui tribulant nos, Panem hìc apponis, qui cor hominis confirmat, adversùs omnes tentationes mundi, carnis, & dæmonis, da mihi per hunc cibum cœlestem & vivificum vires & robur, ut tentatus non succumbam; sed Tibi constanter adhæream: non studeam esse amicus hujus mundi, aut conformari huic sæculo; sed virtute cœlestis cibi transformer in Te, ut uni Tibi placere cupiam, & displicere timeam. Sordeat mihi terra; quia hìc cœlum intueor, & mundi totius Dominum complector. Nihil me carnis moveant illecebræ, cui datur Agni immaculati carne & mannâ cœli vesci; in quo delicias longè majores, & omnem saporis svavitatem invenio. Dæmon verò quid poterit in me, quando mecum est DEus? Si autem DEus pro nobis; quis contra nos.

Sed libera nos à malo. Multis enim in hac vita casibus, & miseriis, obnoxii sumus, quæ eatenus censentur esse mala, quatenus nos fragiles in culpam dejiciunt, & abstrahunt à Te, summo bono. Abduci autem à summo bono, hoc utique est summum malorum. Quem ergo requiremus, qui nos liberet ab hoc malo; nisi Te fontem omnis boni, & quem nobis Advocatum apud Te, omnísque salutis ac felicitatis Authorem dedisti JESUM Christum, qui nos à peccato, & à morte liberavit in Sanguine suo. Hoc Mediatore fac, ut omnia nobis cooperentur in bonum; quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergo prout est verè præsens

in hoc Sacramento; ità nobiscum sit ubique: ille nos pascat, regat, conservet, protegat, ducat, pro suo clementissimo beneplacito, velut oves pascuæ suæ? quidquid nobis evenerit, malum non erit, dummodò nos non separet à summo bono; nam adhærere DEO bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, & à Te quid volui super terram?

PARAPHRASIS
In Orationem
ANIMA CHRISTI.

Ante vel post Missam, aut Communionem fructuosè usurpanda.

ANima Christi, sanctifica me. O anima omnibûs Spiritûs Sancti donîs & charismatis exornata, *sanctifica me*, per fidem vivam, per spem firmam, per charitatem perfectam, quam nec ulla tribulatio, nec angustia, nec mors ipsa dissolvat. O anima, quæ per naturalem informationem es propria Christi, sis etiam mea, per gratiosam assistentiam & operationem, efficiendo in me sanctas illustrationes, piásque affectiones.

O anima Christi, esto anima & vita animæ meæ: quia sinè Te vivere est mori; tecum autem & in Te mori, est vivere in æternum. O anima Christi, Tua memoria meam corroboret;

Tuus

Tuus intellectus meum illuminet; voluntas Tua, meam Tibi conformet.

Corpus Chriſti ſalva me. O Corpus, quod non ſolùm in mortem acerbiſſimam, ſed etiam in ſaluberrimum animæ noſtræ cibum, & immortalitatis pharmacum, jugéque Sacrificium, traditum es, ſalva me O Divinum Caput, in quo ſunt reconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ DEI, guberna me. O benigniſſimi oculi, toties pro me lachrymîs perfuſi; reſpicite me. O lingva Salvatoris, quæ habes verba vitæ æternæ; doce me. O manus potentiſſimæ, quarum attactu, morbi ſunt curati, cæci illuminati, mortui reſuſcitati, tollite omnes languores & morbos, tum corporis, tum animæ meæ, cæcitatem pellite, vitámque gratiæ mihi reſtituite. Quis mihi det ô ſpecioſi pedes, toti mundo ſalutem afferentes, ut cum Magdalena vos amplectar, & deoſculer, veniámque peccatorum meorum, apud vos reperiam. O amabiliſſimum pectus, ſacrarium Divinitatis, Altare amoris, jungere cordi meo, illúdque amore tuo inflamma. Sic mihi vivere, Chriſtus erit; & mori lucrum.

Sanguis Chriſti inebria me. Ut omnium terrenarum oblationem prorsùs oblitus, memor ſum ſolius DEI, eóque unicè delecter. Inebria me, ut omnibus tentationibus ad peccatum me impellentibus, generosè uſque ad ſanguinem ſemper reſiſtam: Inebria me, ut ſicut Tu totus, amore mei, è Corpore Chriſti fuiſti effuſus, ità

&

& ego sanguinem pro eo fundere, mortémque ejus, morte mea compensare sim paratus.

Aqua lateris Christi lava me. Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. O fons aquæ salientis in vitam æternam, extingve in me malignum carnis concupiscentiæ ardorem, ut nihil præter amorem DEI mei, sitiam. O puteæ aquarum viventium, immergo me Tibi; purifica me, ut per apertum Christi latus merear ad cor ejus amplexandum & deosculandum admitti.

Passio Christi conforta me. O fortissima Passio, quæ omnia mundi peccata pertulisti, confirma me, ut omnes adversitates in vita mortali occurrentes non solùm fortî, sed etiam hilarî animô perferam. Tribue mihi vires, ut injurias & contumelias pro Domino meo JESU Christo generosè sustineam. Corrobora me, ut in hora mortis meæ, non prævaleat contra me inimicus, sed fugiant tunc partes adversæ, & vincat eas Leo de tribu Juda:

O Bone JESU exaudi me. Meretur quidem malitia mea, ut repellar à Te; sed invitat infinita bonitas Tua, ut accedam ad Te; & sperem exaudiri à Te. Ergo me ad Thronum gratiæ Tuæ benignè admitte, oculísque Tuæ clementiæ respice, atque aures Tuæ pietatis mihi aperi. Poteritnè fieri, ut qui es fons omnis bonitatis, imò ipsa substantialis bonitas, me peccatorem non ex-

exaudias, qui maximos quosque peccatores exaudis, & à gratia Tua non repellis?

Intrà vulnera Tua absconde me. Nam Sanctissima Vulnera Tua constituisti asylum miserorum: ad illa ergo, conscius quidem multorum peccatorum, plenus tamen fiduciæ & spei, confugio: intrà illa me admitte, nè fiam præda hostibus meis, aut nè incidam in manus offensi Domini Judicísque mei. Hìc securus latebo, hìc misericordias Tuas, ô bone JESU, in æternum cantabo.

Non permittas me separari à Te. Meretur quidem multitudo & gravitas scelerum meorum, ut tanquam pulvis ventô validô projiciat à facie terræ, ità me furor iræ Tuæ projicitur à facie Tua: Sed oro Te per sacratissima Vulnera, per Sanguinem pretiosissimum, per acerbissimam Passionem & mortem Tuam, nè projicias me à facie Tua, & Spiritum Sanctum Tuum nè auferas à me. Nam projectus & separatus à Te, mox audire cogeret: DEus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eum de manibus nostris eripiat. Proinde iterum atque iterum supplex, ô bone JESU rogo, nè in æternum permittas, me separari à Te.

Ab hoste maligno defende me. Circuit námque ille tanquam leo rugiens, quærens, quem devoret. Sed Tu ô Pastor bone defende me, nè quando dicat inimicus: Prævalui adversùs eum. Hostis noster malignus, est antiquus ille draco, qui

qui ortus est in Paradiso voluntatis, qui caudâ suâ detraxit de cœlo tertiam stellarum partem, qui venenô suô corrupit aquas terræ, ut eas bibentes homines moriantur, qui absorbet fluvium tot populorum infidelium, & habet fiduciam, quod influat etiam Jordanis in os suum. Quis vero me à morsibus ejus defendet? quis ex ejus faucibus eruet: nisì Tu Domine, qui confregisti caput draconis magni. Adjuva ergo me, prætende alas Tuas super me, ut sub eas à facie ejus fugiam, & scutô Tuô inexpugnabilî, à dentibus ejus, me protege.

Tetendit ille ante pedes nostros, laqueos infinitos, & vias nostras variîs replevit discipulîs, ad capiendum nos. Quis illas effugiet? nisì Tu, qui es lux vera, eum illumines, dolos detegas, & nè in illos incidat, præcaveas. Ergo Tu Domine libera me à laqueo venantium, & à verbo aspero, ut confitear Tibi dicámque Benedictus Dominus, qui non dedit me in captionem dentibus ejus. Anima mea sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & ego liberatus sum.

In hora mortis meæ voca me. Veniet tempus, quando ex hoc instabili mundo, trepidus ibo in domum æternitatis meæ; quando ab omnibus creaturis deserar, & anxius nesciam, quò me vertam. Ergo Tu Pastor bone voca me tunc ovem Tuam perditam, quæ toties renuit audire vocem Tuam. Indignus quidem ego sum nomi-

mine ovis Tuæ, nam oves Tuæ vocem Tuam audiunt; nihilominùs voca me, non meîs meritîs, ſed Tuâ promptus miſericordiâ. Quæ enim utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in corruptionem?

Jube me Domine venire ad Te. Feciſti me Domine ad Te, & inquietum eſt cor meum, donec requieſcat in Te: non poteſt autem requieſcere in Te, niſì priùs perveniat ad Te. Jube me ergo Domine venire ad Te. Obſtant quidem mihi fluctus feri hujus maris, obſtant ſenſibilia ejus oblectamenta, carnis illecebræ, ac Dæmonis verſutiæ reſiſtunt: Sed ſi me juſſeris venire ad Te, omnia iſta ſecurus calcabo, ut potiar Te, ut amplectar Te, ut fruar Te. Vocas quidem omnes ad Te, & dicis: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ergo & me non prætermittas: nam ego agnoſco atque profiteor Te eſſe ſummum bonum meum, ad cujus fruitionem ſum creatus; & ego laboro circa vanitates & inſanias falſas, oneratúsque ſum ſarcinâ multorum delictorum. Jube ergo me venire ad Te; ut reficias me, quia Tu ſolus mihi ſufficis. Quid enim mihi eſt in cælo, & à Te quid volui ſuper terram, præter Te, DEus cordis mei, & pars mea DEus in æternum.

Ut cum Sanctis Tuis laudem Te in ſæcula ſæculorum. Nam quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum, ità deſiderat anima mea ad Te

DEus. Sitivit anima mea ad Te DEum, fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Tuam; ut illam cum Electis Tuis videam, unáque cum illis Te laudem & glorificem, quamvìs illorum consortio sim indignus. Felices, qui jam de pelago ad litus, de exilio ad Patriam, de carcere ad pallatium illud pervenêre, in quo Te facie ad faciem contemplantes, torrente voluptatis Tuæ potantur, ac ineffabili, ab ubertate Domûs Tuæ, dulcedine fruuntur. Fac me Domine participem felicitatis eorum, ut unà cum illis laudem Te in sæcula sæculorum,

AMEN.



PRÆ-



PRÆPARATIO AD MISSAM.

Oratio præparatoria, cum Indulgentiis 50. Annorum.

Ego

IN ſceleribus à juventūte mea, miſer, vilis, & immundus, terra, & cinis, putredo, vermis, & non homo, qui toties DEUM offendi, proximum læſi, mihi non peperci.

Volo

DEI voluntate, DEI beneplacitô, DEI diſpenſatione, miſericordiâ, gratiâ, & benignitate.

Celebrare

REm maximam, Angelis non conceſſam, contrectare, de cœlo Filium DEI advocare, in manibus meis, velut in viſceribus Matris, ipſum complecti, Spiritum Chriſti ſuſcipere, divina myſteria contemplari, Angelorum reverentiam & obſequium admirari, Paſſionis memoriam re-

colere, futuræ gloriæ pignus accipere, vivos & mortuos adjuvare.

Missam,

PAssionis Christi repræsentationem, Unigeniti Filii DEI Sacrificium, redemptionem humani generis, Trinitatis gloriam, Angelorum lætitiam, justorum solatium, peccatorum veniam, vivorum subsidium, mortuorum refrigerium.

Et conficere

TRansubstantiare in Christi Corpus, panem, & in ejus Sanguinem, vinum, omni humilitate, devotione, attentione, & puritate.

Corpus,

DIvinum, verum, vivens, immortale, impassibile, gloriosum, viatorum firmamentum, debilium robur, animarum nutrimentum.

Et Sanguinem

QUi est peccatorum omnium pretium, lavacrum criminum, ablutio macularum, viatorum refectio, fons vitæ, salus mundi, tribulatorum condimentum suavissimum.

Domini nostri JESU Christi.

QUi est verus DEUS, & verus Homo, totus in cœlo, totus in terra, totus in universo, omnia continens, omnia complectens, omnia sciens, omnia prospiciens, & omnia disponens.

Juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

CUi corde, verbô, & opere semper intendo, me

me ſubjicere, & conformare, in qua opto firmiter vivere, & fiducialiter mori.

Ad laudem Omnipotentis DEI.

QUi eſt, qui fuit, & qui futurus eſt in æternum, ab omnibus laudandus, benedicendus, glorificandus, quærendus, & cognoſcendus.

Totiúsque Curiæ Triumphantis.

QUæ eſt Mater noſtra, hæreditas noſtra, poſſeſſio, habitatio, felicitas, & beatitudo noſtra, ubi multitudo laudantium, & benedicentium DEUM, ſinè intermiſſione.

Ad utilitatem meam,

SPiritualem, & corporalem ſalutem, ad beneplacitum Divinæ Majeſtatis, de cujus miſericordia omnis utilitas, bonitas, ordinatio, & diſpoſitio vitæ meæ procedit.

Totiúsque Curiæ Militantis.

QUæ eſt vallis lacrymarum, miſeria calamitatum, & militia noſtra, ubi multitudo languentium, cæcorum, ſurdorum, claudorum, expectantium cœleſtis miſerationis conſolationem, pacem, & vitam æternam.

Pro omnibus, qui ſe commendaverunt Orationibus meis, in genere, & in ſpecie.

UT habeant lumen ad cognoſcendum Te, intellectum ad diſcernendum, quidquid bonum, quidquid ſanctum eſt, liberentur à malis

præteritis, præsentibus, & futuris, & omni tempore, observent præcepta Domini.

Et pro felici Statu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

UT Summus Pontifex N. Sanctus, pius, & justus in suo regimine conservetur, ut hæresium tempestates penitùs profligentur & sedantur, ut Principum Christianorum concordia in perpetuum servetur.

GAudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam, & consolationem Spiritûs Sancti, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis Omnipotens, & misericors Dominus, Amen.

Applicatio Missæ pro vivis, Memento Vivorum N. N.

1. MEi, Parentum, Fratrum, Sororum, Consanguineorum, & omnium amicorum meorum, ut eis dones, quod voluntati Tuæ placitum, & saluti eorum profuturum esse cognoveris.
2. Omnium, quibus fui gravamen, scandalum, & occasio peccandi.
3. Omnium Benefactorum, & Ministrorum Ecclesiæ DEI Catholicæ.
4. Omnium hæreticorum & infidelium, ad conversionem.
5. Omnium agonizantium, & improvisè morientium.

6. Omnium mihi commiſſorum in genere, & in ſpecie.
7. Omnium in peccatis obſtinatorum.
8. Specialiter Perſonæ N. N.

Applicatio Miſſæ pro Defunctis, Memento Mortuorum.

1. Animarum Parentum, Fratrum, Sororum, Conſanguineorum, & omnium Amicorum meorum.
2. Animarum omnium Benefactorum meorum, in Spiritualibus & temporalibus.
3. Animarum omnium Pontificum, Sacerdotum & Miniſtrorum Eccleſiæ DEI Catholicæ.
4. Animarum omnium, improviſa morte corporibûs exutarum.
5. Animarum, quarum non eſt ſpecialis memoria.
6. Animarum omnium exiſtentium in Purgatorio.
7. Animarum omnium, mihi in genere & ſpecie commiſſarum.
8. Specialiter animæ N. N.

Applicatio perutilis, pro omnibus neceſſitatibus privatis & publicis.

O Pater miſericordiarum, & DEUS totius conſolationis. Ecce ego indignus peccator, vocatus in ſocietatem Filii Tui, hoc Sacrificium celebraturus advenio, ad laudem & gloriam SS. Trinitatis, Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, SS. Angelorum & Cuſtodis mei, Patronorúmque meo-

 rum,

rum, & hujus S. N. cujus Festivitatem celebrat Mater Ecclesia DEI; Cùm igitur ego indignus peccator, debitas Tibi agere gratias, pro beneficiis in me collatis, dignè facere nequeam. Offero Tibi in hoc Sacrificio omnia merita Unigeniti Filii Tui Domini JESU Christi, charitatem, obedientiam, humilitatem, mansvetudinem, omnes Ejus labores, jejunia, vigilias, fatigationes, orationes, angustias, dolores; Offero omnia merita Beatissimæ MARIÆ Virginis, corda inflammata omnium Angelorum, Patriarcharum fidem, Prophetarum constantiam, Apostolorum labores, Martyrum pœnas, Confessorum sanctitatem, Virginum puritatem, totiúsque Curiæ cœlestis cogitationes, motúsque omnes. Offero omnia Sacrificia, quæ nunc per universum orbem offeruntur. Offero omnium Religiosorum laudes, orationes, mortificationes, curas, in animis juvandis, Sacramentis administrandis, verbo DEI prædicando. Offero omnium justorum opera, tribulationes, dolores, labores, quibus omnibus voluntatem meam adjungo, & particeps haberi cupio. Intende oculos misericordiæ Tuæ in Summum Pontificem Romanum N. & in universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Parochos, & in omnes, qui ad statum Clericalem pertinent, miserere omnium Religionum, & præsertim in hac Civitate, & nostra Congregatione, ut exactè paupertatem, castitatem, & obedientiam servent. Effunde miserationes Tu-
as

as in Regem Nostrum N. in omnes Catholicos Reges, in universos Gubernatores Nobiles, Plebejos, in omnes, qui ad statum spectant Sæcularem. Regni Poloniæ Civitates & Provincias ab incursu hostium conserva, à peste, fame, & bello libera, & pacem in diebus nostris concede. Denique offero Tibi hoc Sacrificium, pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus Noster JESUS Christus, & Ejus Mater, sciunt & volunt me debere orare, & sacrificare, sic oro, obsecro, ac orare, & sacrificare intendo, ac propono, juxta intentionem Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, ego N. Minister, & licèt indignus Sacerdos. In Nomine Pa✠tris, & Fi✠lii, & Spiritûs ✠ Sancti, Amen.

Oratio post Missam.

O Clementissime JESU, gratias Tibi ago, quòd me dulcissimo Corpore, & pretiosissimo Sanguine Tuo reficere voluisti, quòd me ad officium Sacerdotale elegisti, & humiliter rogo, ut remittas mihi universas negligentias meas, & omnia errata mea, quòd Sanctissimum Corpus & Sanguinem Tuum tractavi, & sumpsi tam irreverenter, & indevotè. Parce, quæso, benignissime DEUS, & remitte omne, quod in hac Missa, tam in ciendis, quàm in agendis vanis cogitationibus, transivi incautè seu negligenter. Eja deprecor Te misericors DEUS, ut Tibi hoc Sacrificium gratum sit, & acceptum, quod

quod obtuli in laudem Nominis Tui, & Gloriosissimæ Virginis MARIÆ, atque & in honorem S. N. & Electorum Tuorum, pro vivorum & mortuorum salute: da vivis omnibus gratiam, & defunctis requiem, Ecclesiæ pacem & concordiam; nobis autem peccatoribus fidem rectam, spem firmam, charitatem perfectam, ac tandem vitam sempiternam, Amen.

Alia post Missam.

O Bone JESU, bone JESU, bone JESU, ô spes mea, refugium meum, salus mea, miserere, miserere, miserere mei, adjuva me Domine, adjuva, & propitius esto mihi peccatori vilissimo, peccatori indignissimo, peccatori abominando, resigno me Tibi totum integrè, fiat semper in me, & de me gratissima voluntas Tua: ô dilecte, dilecte, dilecte, ô charorum omnium charissime, ô Sponse floride, ô Sponse melliflue, ô dulcedo cordis mei, & vita animæ meæ: accende, concrema, & transforma me, ut nihil præter Te vivat in me. Eja mi dulcissime JESU, JESU, JESU, vulnera, vulnera cor meum profundissimè, jaculô amoris Tui.

Ad Beatam MARIAM Virginem.

O Mater pietatis & misericordiæ, Beatissima Virgo MARIA, ad Te confugio toto corde & affectu, & precor pietatem Tuam, intercede pro me ad Dulcissimum JESUM Filium tuum,

Salva-

Salvatorem & Redemptorem animæ meæ. Tu autem, ô mi JESU benignissime, solve vincula peccatorum nostrorum, intercedente Beatissima Virgine Genitrice Tua, cum omnibus Sanctis, nos famulos Tuos, Benefactores, atque loca nostra in omni Sanctitate custodi, omnésque consanguinitate, affinitate, familiaritate conjunctos, à vitiis purga, virtutibûs illustra, pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & invisibiles remove, carnalia desideria repelle, aërem salubrem indulge, amicis & inimicis nostris charitatem largire, & urbem hanc, atque locum istum, cum omnibus habitantibus in ea, à peste, fame, & bello conserva, Pontificem Nostrum N. Regem N. Antistitem, & omnes Prælatos, & cunctum populum Christianum, ab omni adversitate custodi, & benedictio Tua sit super nos semper, Amen.

Ad Sanctum, Cujus ea die Festum celebratur.


O Sancte N. ecce ego miser peccator, de Tuis meritis confisus, obtuli nunc Sacratissimum SACRAMENTUM Corporis & Sanguinis Domini JESU Christi, pro Tuo honore & gloria, precor Te humiliter & devotè, ut pro me hodie intercedere digneris, ut tantum Sacrificium dignè & acceptabile fiat in conspectu Divinæ Majestatis, Tua intercessione, quod suscepi indignus; sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamen-

mentum, ſit impetratio veniæ, ſit ſtabilimentum gratiæ, medicina vitæ, viaticum meæ peregrinationis, ſit mihi armatura fidei, & ſcutum bonæ voluntatis, ſit vitiorum meorum evacuatio, concupiſcentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniúmque virtutum augmentatio, contra inſidias omnium inimicorum, viſibilium & inviſibilium, firma defenſio, motuum meorum, tam carnalium, quàm ſpiritualium, perfecta quietatio, in DEO vero firma adhæſio, atque finis mei felix conſumatio,

A M E N.



IN-



INDEX.
Materiarum hujus Libri.

Pœ-

Quar-

Fre-



